



V 882

33

B. D. IOACHIMI HILDEBRANDI
DE
RELIGIOSIS
EORVMQVE
VARIIS ORDINIBVS
TRACTATVS.



EDITIO NOVISSIMA.

HELMSTADII
EX OFFICINA SCHNORRIANA.
MDCCXLI.

Stadtarchiv
Rathenow

R. D. H. M. G. P. M. C. P. R. M. D.

DG

ELLIOSIS

EGRAEAE

VARUS ORDINAVS

ARMATI



EDITIONES

MARLBORO

EX OFFICINA SCHNORRIANA

MDCXVII



DE
RELIGIOSIS EORVMQVE
VARIIS ORDINIBVS.

LIBELLVS
ANACHORETÆ.

S. I.

Tria monachorum genera S. Hieronymus Epist. 22. ad Eustoch. c. 15. de custodia virginitatis, jam suo ævo extitisse refert. Sunt. I. (inquit,) Anachoretæ, qui soli habitant per deserta, & ab eo, quod procul ab hominibus vivant, græce vocantur. Sunt II. Canabitæ, quos Ægypti sua lingua Sanses vocant, nos latine in commune viventes, appellare solemus. Est III. genus monachorum, qui Remoboth dicuntur, deterrium & negletum, quod in hac nostra provincia (loquitur autem de Palæstina) solum est & primum. Hæc S. Hieronymus.

S. II. Et ut ab Anachoretiis ordinar, horum autor aliis Elias propheta, qui fugiens iratam Jesebel, aliquam diu eremum coluit, i. Reg. XII. 4. Juxta alias, Johannes Baptista, qui quod in montanis habitaret, vox clamantis in deserto vocatus est. Juxta alias Anachoretæ a priscis sanctis orti sunt, de quibus scribit Apostolus Ebr. XI. 38. circumverunt per deserta in montibus ac specubus & scroibus terre.

S. III. Nos vero omnium rectissimè Anachoretas ævo martyrum sub horrendis ecclesiæ persecutionibus, præsertim octava, circa medium seculi III. copiße arbitramur. Tanta enim erat huius Tyranni (Decii) crudelitas, ut non occideret tantum

A

chri-

christianos; sed exquisitis & lentis cruciatibus torqueret, ut christiani sentirent se mori. Hos cruciatus, cum multi christiani, qui cætera mortem non timebant, metuerent ac fugerent, plerique urbibus & opibus relictis in vastas eremos se abdiderunt, ibique ædificulas, casas, tuguriola condiderunt, ne in manus Tyranni incidenterent, de quo lachrymabili statu ecclesiæ Mantuanus L. i.

Tum plerique Patres cauti cum tale viderent

Excidium, fugere urbes & more ferarum

Per diserta vagi coecis latuere sub antris.

§. IV. Ut proiade necessitas & fuga mortis tempore persecutorum primos Anachoretas, de quibus hic loquimur, produxit. Post illa cum persecutio defœvit, multis hoc vita genüs in deserto placuit, & quamvis liceret, ad seculum redire noluerunt, sed in solitariis locis perseverarunt, ut Deo & bonæ menti in alta quiete vacarent. Primus autem omnium fuit Paulus Thebanus, qui utroque parente orbus, amplam hæreditatem cum forore habuit, sed fororis maritus, quod avarus esset, affinem apud Tyrranum Decium detulit, quod christianus esset. Re comperta, Paulus puer 15. annorum in specum faxei montis in Ægypto se recondidit, ibique integros 90 annos perduravit, nemini mortalium visus, nisi sub hora mortis S. Antonio, qui examine Pauli corpus sepelivit. Hujus primi Anachoretæ vitam non tantum Athanasius, sed & S. Hieronymus divinis laudibus ornat. Inter alia refert S. Hieronymus, quod 60 annos corvus quotidie dimidium panem Paulo attulerit; quodque hoc ejus fuerit dictum: *Monachus otiosus non potest esse perfectus.*

§. V. Paulum, inter Anachoretas suscepit S. Antonius, qui natus 20. annos bona sua bipartitus est, partem alteram forori, alteram inter pauperes distribuit, ipse pauperissimus ad loca solitaria concessit, ita tamen, ut stato tempore ad discipulos suos accederet eosque in fide & moribus informaret; imo cum quinquagesimum annum superasset, subinde extra eremum ad urbes processit, ibique Christianum publice prædicavit, & quamvis avæ pœnitentes esset, animose tamen contra hæreticos, præsertim Arrianos disputavit. Confessus autem in urbe negotiis subito se ad solitudinem recepit, fuitque hoc eius dictum: *Monachus in urbe est velut pisces extra aquam.* Miranti cuidam quod libris careret, respondit: *Liber meus*

efz

est tota rerum natura, hanc intueor, cum de Deo meditor. Discipulis regulam vivendi potentibus codicem S. scripturæ dedit ejusque sufficientiam insigniter commonstravit: Cibus illi panis & sal: potus aqua, neque ante vesperam commedit, humi cubuit, nec unquam se nudum inspexit. Charitatis officia omnibus præstitit, moriturus egregiam concionem contra hæreticos sui temporis habuit, & corpus suum loco incognito sepeliri voluit, ne ossa eius in reliquias converterentur, & vano honore, (sic ipse cultum reliquiarum vocat) colerentur. Evidem exigitimo S. Antonium inter reliquos Eremitas optimum & fere a superstitutionibus solum immunem.

§. VI. Tertius ex Anachoretarum est S. Hilarion, qui in vasto eremo juncaceam domunculam struxit, adeo angustam, ut in ea nec erectus stare, nec humi cubans extendere se posset. Fertur multa multa miracula in sanandis morbis & expellendis dæmonibus edidisse. Labor eius erat, 1) legere Scripturam S. 2) orare, 3) canere Psalmos, 4) humum fodere. Vestiebatur cilicio, quod in veteri ecclesia erat ordinarius pénitentium amictus. Vi-
tas horum Anachoretarum S. Hieronymus copiose describit.

§. VII. Quod ad vitam, quam Anachoretæ vel Eremitæ V. E. egerunt, attinet, Otto Frisingensis L. 7. Chronic. c. 35. in tres classes illos dividit; alii, inquit, sub communi ephoro seu inspe-
ctore in locis remotis sed junctim habitant, ita, ut singuli singu-
lares cellas occupent, hi modico contenti per hebdomata in suis
cellulis quasi clausi vivebant; sed diebus dominicis & festis in ora-
torio conveniebant, & audita concione, quam senior habebat,
suis se cellulis iterum incluserunt, atque hi ad Cœnobitas proxime
accesserunt. Alii in specubus & antris non iunctim, sed ab omni
hominum consortio remoti vivebant, nec vitæ sua testem nisi
Deum habebant; hos alii Mandritas vocarunt, ideo, quod in
Mandris h. e. speluncis & bestiarum receptaculis viverent. Alii
eosdem *Troglodytas* vocarunt ἀπὸ τοῦ τρογλῶν h. e. ab antris. Di-
cti alias sunt *Troglodites* populi in Æthiopia, qui spæcūs excavare,
iisque loco domuum uti solebant ob nimium æstum. Tertium ge-
nus apud Ottomem Frisingensem est, qui nec in cellis nec in antris,
sed sub dio agebant, nec ullo nisi aetheris tecto utebantur. Hos

Nicephorus vocat *Boskæs* h. e. pabulatores, s. pastores, quod communum cum bestiis pabulo vescerentur, h. e. radicibus & herbis.

SARABAITE.

Secundum genus monachorum, quorum S. Hieronymus d. I. commeminit, ipsi quidem *Remoboth*, sed *Ægyptiis Sarabaitæ* sunt dicti. Hi non sub Abbatæ, sed suo arbitrio vivebant. Labores manuum suarum in commune conferebant, nec in cœnobii, sed plerumque in castellis commorabantur. Si quid venderent id maioris erat pretii, quasi eorum contacetu sacrum; jejunii invicem certabant, laxas manicas & caligas follicantes habebant; inter hos crebra erant jurgia, detractio clericorum, visitatio virginum, & diebus festis ad vomitum usque saturabantur, prout omnia hac refert Hieronymus in Ep. ad Eu-stoch. His Sarabaitis cognati erant *Gyrovagi* inde dicti, quod vagando per provincias quasi gyrarent; atque hi ipsi Sarabaitis, quos Hieronymus veluti pestes abominatur, pejores erant. Nam Sarabaita de laboribus suis vivebant, sed Gyrovagi de alienis. Certe non absimiles hodiernis mendicantibus in Papatu.

CIRVMCELLIONES.

Intra reproba monachorum genera, quales jam recensui, *Circumcelliones* locari merentur, inde dicti, quod in agris cellas & tuguriola haberent, in quibus vitam quasi eremitam agebant, postea mulierculis cohabitabant, de quibus S. Augustinus ad Quodvult Deum sub hæresi Donatistarum, videatur Philastrio *Circumidores* dicuntur, quod hinc inde circumirent, quasi mortem quererent. Nam ad furorem usque martyrii gloriam expectabant, ideoque seipsoſ ſæpe necabant, aut alios ad vim ſibi in ferendam cogebant, de quibus lepidam historiam Theodore-tus in fabulis suis hæreticorum refert. Contigit, ut aliquando ex his monachis multi circumirent & mortem quererent; forte in generofum juvenem inciderunt, quem porrecto ene rogarunt, ut ſibi mortem inferret, ſe alia ipsum interfecturos. Juuenis dixit ſe facturum modo singuli vincula ſibi injici patarentur, periculum enim esse, ne uno vel altero occiso, reliqui

pæ-



25 (20)

pœnam cædis ab ipso exigerent. Cui petitio cum acquiescerent, & simul vinculis constricti humi jacerent; juvenis sumto grandi fuste, singulos egregiè dedolavit, vincosque in via & vita reliquit. Hos partim stolidos, partim improbos monachos concilium Chalcedonense anno Christi 453. abrogavit his verbis: *Sunt qui monachorum habitu utantur & per civitates vagantur ac seipso commendant. Placuit igitur, ne quis oratorio vel monasterio impostrum exeat invito episcopo.*

COENOBITAE.

S. I.

Tertium illudque ultimum genus monachorum apud Hieronymum, *Cœnobita* dicuntur: de quorum origine tres potissimum sunt sententiae. Alii *Cœnobitas* a Iudæis derivant, & hi iterum sunt tripartiti. Alii enim ab Essenis putant descendere, vel Pharisæis vel Sadducæis. Tertia illa Secta quæ Sadducæorum, pertensi ad colles ad hortos aliaque loca solitaria abiuerunt, ibique peculiares scholas habuerunt, in quibus legem Mosis, prophetas & philosophiam præsertim moralem explicarunt. Alii monasticam apud christianos a Nazarenis derivant, qui rebus seculi relictis rigidam vitam & celebrem continentiam sunt professi, a Deo ipso confirmati Num. VI. Alii, quos inter est S. Hieronymus in Ep. ad Paulinum, patres monachorum in ecclesia faciunt Iudæorum Recabitas, qui per loca pascua vagabantur, nec agros aut vineas colebant, nec domos habebant, sed in tentoriis habitabant.

S. II. Secunda de origine cœnobitarum sententia est illorum, qui cum Cassiano collatione 18. c. 4. cœnobitas ex Apostolico instituto derivant. Solebant enim primi christiani omnia vendere & ad pedes Apostolorum in commune conferre. Apostoli pretia bonorum Diaconis inter christianos distribuenda dabant, adeoque ex communī massa vivebant primi christiani. Hoc institutum, scribit B. Hornejus in Theolog. moral. ad secundum præceptum S. LIX, cœnobitis occasionem communis vita præbuisse videtur.

A 3

S. III.

§. III. Tertia denique eaque communissima sententia illorum est, qui cœnobitas & que ac eremitas a Paulo Thebano, præsertim ab hujus discipulo Antonio Ægyptio derivant. De quo Baronius Tom. 3. annalium. Cum ex omni hominum gente ad Antonium spectandum concursus fieret, S. Antonius omnes admonuit, ut seculum spernerent & perfectioni vita studerent. In quem finem multa monasteria condidit, in quæ monachos distribuit, eoque vita cœnobiticæ fundamenta primus posuit. Vixit autem Antonius ineunte Sec. IV.

SVCCINCTA DESCRIPTIO MONACHORVM VETERIS ECCLESIAE.

S. I.

UT veteres & recentes Monachi invicem conferri & probe discerni possint, opera pretium est, breviter ostendere quales in primitiva ecclesia Monachi fuerint. Erant autem I. prisci Monachi omnes laici, non, ut hodie sunt, clerici, quod imprimis S. Hieronymus docet Ep. ad Heliодorum, ubi hoc discrimen inter monachos & clericos facit: *Clerici, inquit, oves Christi pascunt, sed monachi pascuntur.* Imo omnibus clericis ipsis ostiariis, inferior erat monachus, quod patet ex decreto Gratiani distinet. 93. c. 2. sub diacono. *Ubi ipse Abbas, ne dum monachus ostiarius subjicitur.* Nihilominus observo in V. E. usitatum fuisse, ut ex monachis clerici, nec raro episcopi deligerentur, teste Augustino Ep. 81. Unde discimus, licet monachi veteres clerici non fuerint, præsca tamen monasteria seminaria ordinis ecclesiastici fuisse.

S. II. Erant II. veteres monachi extreme pauperes, adeò, ut monachus proprietarius in V. E. fuerit res detestanda. Hinc notabile est Gregorii M. dictum: *Monachus habens obolum, non valeat obolum.*

Erant III. monachi omnes cœlibes, & ob heroicam continentiam insignes; imò cœlibatus fuit primarium monachorum ornamentum, quo ceteris christianis fere admirationi fuerunt. Certè monachus uxoratus fuit contradic̄to in adjecto.

Erant

Erant IV. obedientes. Nam, cum in communi viverent, ordinem inter ipsos esse oportuit, adeoque primum aliquem, qui totum collegium gubernaret, & monachorum inspector esset, hunc Abbatem vocarunt, sine cuius consensu ne porta quidem egredi monacho licuit; quin & in hunc usque diem, haec tria, Paupertas, Castitas, & Obedientia, sunt solennia vota, quæ monachos edere omnes oportet.

§. III. Erant V. monachi a seculo ad Deum tota mente conversi: a seculo inquam, quia omnibus mundi voluptatibus, divitiis, honoribus, aliisque vanitatibus, quibus seculares implicantur, longum valedixerint. Ad Deum inquam, quia conversatio ipsorum omnis erat in celis, prout vetus hymnus habet:

Rebus procul mortalibus

Mens avolabat fervida

Divumque juncta cœtu

Harebat inter fidera.

Hinc in canonibus conciliorum Religiosi zac' εξοχὴ conversi dicuntur.

§. IV. Erant VI. veteres monachi potiorem diei partem horis canonicos dediti. Ubi notandum in V. E. horas canonicas 7. fuisse; quarum 1. fuit paulo post mediam noctem. 2. ad gallicinum. 3. hora diei sexta. 4. hora nona. 5. hora duodecima. 6. hora tertia pomeridiana. Et 7. denique completorium vocabatur & vesperi agebatur. Has 7. horas primi christiani omnes solennes quotidie habuerunt; sed postea cum orandi fervor remitteret, nec per domestica negotia tot horas precibus impendere liceret, haec orandi tempora ad monachos & clericos, qui inde canonici sunt dicti, sunt devoluta.

§. V. Erant VII. frugales in victu. Resert Cassianus, apud veteres monachos, ordinarium cibum legumina, olera & siccum panem fuisse & inter fercula lampasanam herbam sale conditam & aqua dilutam, sal frictum & pisticulos salitos. Qui monachorum victus eodem quem dixi hymno sic exprimitur;

Monachis olus cibaria

Fuete vel legumina,

Po-

Potumque lympha prabuit,
Humusque dura lectula.

Inter edendum erat Anagnoset, qui ex S. Scriptura aliquid legebat: quod putarent, non de solo pane hominem vivere, sed ex omni verbo per Dei os prolato.

§. VI. Quod autem IIX. ad vestitum veterum monachorum attinet, hi fere omnes cilicis erant induiti. Sozomenus resert, ipsos fuisse cucullis rebrachiatorii, vel lineis collobeis, item palliis, quæ Mauortas dixerunt, nec non peris, seu pellibus caprinis, quas Melotas vocaverint, induitos: quin & baculum manu gestasse in signum domandæ carnis. Calceis autem non usos fuisse, ideo quod in calidis illis regionibus frigus non adeo strictura esset, interim pedes caligis obtexisse. Ita Sozomen. L. 3. Hist. c. 14. & L. 5. c. 19. Birros autem, hoc est veftes ex serico, gestare monachis prohibitum fuit in Concil. Gangreni anno Christi 324.

§. VII. Fuerunt denique IX. veteres monachi valde laboriosi. Labores autem monastici hi erant: fiscellam junco texere, vel canistrum lenti viminibus flectere, farrire humum, aquas in horum ducere, plantas collocare, olerum semina spargere, surculos arboribus amputare, alvearia apum struere, retia capiendis piscibus texere, quæ omnia B. Hieronymus in Ep. ad Eustochium & Augustinus integro libello de opere monachorum recenset. Media aetate præcipuus monachorum labor erat, libros scribere, quo ipso sane multum bono publico profuerunt; cum si sine monachis fuissent, multa veterum scripta ante typographiam inventam intercidissent.

TONSURA VETERVM.

§. I.

Solent hodie pontifici cum religionem profitentur, capitis verticem novacula abradere, ita, ut circa aures & tempora coronam relinquant. Hunc morem ab Aniceto Romano Episcopo A. C. 160. derivant, qui primus in Ep. ad Gallos caput in modum sphæræ abradere jussit. Evidem fateor in V. E. christianos comam tondere solitos, cum ipse Apostolus dixisset: *comam viro dedecori esse*, 1. Cor. II. v. 14. Sed in fœminis coma prolixa com-

men-

mendabatur. Hinc S. Augustinus de opere monachorum in monachos comatos graviter invehitur. Sed tonsura illa veterum, hodierna in papatu, quæ rasura potius quam tonsura, fuit maxime dissimilis. Quod ad Anicetum attinet, constat inter eruditos, epistolam illam suppositiam esse. Ita primitiva ecclesia monachos tonsos habuit, non rasos ut hodie sunt in papatu.

§. II. Invenio quidem, veteres corona meminisse de monachis & clericis. Hinc S. August. Ep. 147. clericos per coronam suam adjurat. Et S. Hieronymus coronam Augustini compellat, ut legitur inter Ep. August. 26. Sed notabunt studioſi sacrarum antiquitatum, per coronam veteres non intellexisse circulum capillorum, qui raso vertice relinquitur, sed reverentiam ordinis sacri; perinde, ut hodie dicimus: Obtestor tuam reverentiam Euer Chr̄wñdēn perinde ut Salomo sene&tutem vocat, *omnis honoris coronam Prov. 16. & corona capitis dicitur regis majeſtas Thren. 6.*

§. III. Rasuræ autem monachorum, quales hodie in papatu obtinent, prima fit mentio in Concil. Toletano IV. A. C. 631. Ubi clerici omnes capite superius detenso, coronam circa aures relinquere jubentur, postea in Concil. Aquisgranensi, A. 816. radendis monachis destinatum est sabbatum sanctum & proximi 15. dies, perinde ut apud Athenienses erant mensa Octobri, quibus puberes adolescentes detonderi & in sodalitates referre solebant, teste Platone in Timæo. Docet venerab. Beda L. 5. histor. Anglican. c. 22. hanc monachorum coronam in memoriam spinea coronæ Christi fieri. Sed Isidorus L. 5. de officiis divinis c. 4. putat, indicari regiam coronam, quod religiosi regibus sint aequales. Alii ad coronam iustitia referunt, quam vita sanctimonia mereantur.

§. IV. Supereft, ut morem monachorum in rasura barbae spectemus, quod institutum Anacleto papæ tribuit Platina. Sed in decretis Anacleti non extat. Alii ad Concil. Carthaginense IV. adeoque ad initia Sec. V. morem radendi barbam referunt. Sed fatetur ipse Baronius, in oriente monachos omnes barbatos fuisse. In occidente vero rasura barbae imprimis invaluit, quum transubstantiatio doceri & communio sub una usurpari cœpit. Nam inter lepidas alias rationes, ob quas laicis calicem subtraxerunt,

hæc non minima fuit, quod laici prolixas haberent barbas, quibus facile aliquid sanguinis Domini inhærente possit. Hodie in abrasa barba aliquot mysteria ponunt, præsertim, quod monachi velut angeli & imberbes pueri, innocentiam vitæ castimoniam se&tentur; sed quam egregie hoc præstent, lippis & tonsoribus notum est. Est non nemo, qui ideo monachos barbam radere existimat, ut fœminis ac puellis sint gratiore, has enim

molla semper

Oscula delectant & desperatio barbae

Vid. Pierii oratio pro barba monachorum.

SACRÆ VIRGINES.

S. I.

AB initio ecclesia, virginitas a non paucis fuit culta, adeo, ut Tertullianus jam suo *xylo* plurimos in ecclesia continentes repertos, libro ad uxorem affirmet, cum ipse Salvator donum continentia & Paulus virginitatem præclare commendassent. Imo admiratio virginitatis monachatum insigniter promovit. Licut autem virginibus etiam post virginitatis propositum nubere; sed nunquam sine nota inconstantia vel levitatis. Hinc S. Cyprianus *L. i. Ep. ii.* de hujusmodi virginibus, quæ ad nuptias transferant, consultus respondit, ad continentiam revocandas, quam si præstare nolint aut nequeant, melius statuit nubere, quam ut in libidine ignem cadant.

§. II. Primus fuit Basilius M. qui in libello de virginitate sacrarum virginum nuptias fornicarias, adulteras, incostas pronunciat. Primus autem fuit Innocentius Papa circa A. C. 402. qui *santimoniales* ob inita matrimonia excommunicavit, nec spem reddenda communionis nisi sub hora mortis concessit, quod Innocentii decretum multa concilia confirmarunt.

§. III. Quod ad vestitum sacrarum virginum attinet, refert S. Athanasius *L. de virginitate* vestitus fuisse indumento fusco & nativi coloris, quod olim insigne erat continentium; refert porro cucullo indutas, ad innocentiam infantilem denotandam. Infantes enim dum adhuc fasciis obvolvuntur, aliquibus velis quasi cucullis tegi solent, ut docet Cassianus *L. i. de Institutis monachor.*

S. IV.

§. IV. Primarium vero insigne, unde sanctimoniales cognosci potuerunt, fuit *velamen sacrum*, quod pontificii a Pio papa. A. 142. deducunt, sed verius est, quod refert B. Rhenanus, notis ad Tertulliani libellum de velandis virginibus, morem consecrandi virgines velamine imposito per episcopum, S. Ambrosii & Hieronymi ævo, hoc est seculo IV. exente cœpisse. Vid. S. Ambrosius L. i. ep. de virginibus ad Marcellinam sororem. Sunt quidem alii, qui ex Tertulliani libro de velandis virginibus, jam martyrum ævo velamen monialium fuisse existimant. Sed evidens est ex contextu, Tertullianum dicto libro, non de monialibus sed virginibus Carthaginensis in genere locutum. Nam cum ea ætate nulli virginum in publico comparere, nisi tecto capite liceret, Tertullianus in virgines Carthaginenses invehitur, quod hæ aperto capite, vel adeo tenui velamine ad sacra comparerent, ut alii subcandidantem cutem pviderent, idque in hunc finem, ut eo citius maritum e christianis acquirerent. Hunc morem reprehendit Tertullianus dicens: *Ecclesiam esse domum precum, non nundinationes virginum.* Male igitur Bellarminus ex hoc libro: Tertullian. velamina monialium deductit.

§. V. Mos velandi virginem hic erat: Futura monialis episcopo consecranda offerebatur tali ueste, quali per omnem vitam usura erat, postea ad altare accensis candelis in faciem totius ecclesiæ ducebatur, & episcopus antequam velum imponebat, ita compellabat: *Aspice filia hoc velamen, & obliviscere populum tuum & domum patris tui, ut rex caelestis decorum tuum concupiscat.* Quibus dictis velamine eam tegebat, in signum castimoniae & verecundiæ conservandæ, clamanti omni populo, Amen! Optatus Milevitanus L. 2. ad Parmenianum refert, mitras virginibus impositas. Denique moris erat, ut honestæ matronæ ad virginem jam velatam concurrent ejusque oscula certatim peterent, teste S. Ambrofio in libello ad virginem lapsam.

§. VI. Quod ad viictum sacrarum virginum attinet S. Athanasius dicto libro jubet eas sèpius jejunare, panem sumere & olera oleo intincta, vinum tanquam venenum fugere præter paullum: nam, inquit, cum vinum virgines bibunt, oleum flammæ additur & ardenti corpusculo libidinis fomenta præbentur. Cir-

ca preces publicas monialium S. Athanasius monet, ut sole oriente facrum librum in manus sumant, hora 9. ad communes preces veniant, easque usque ad horam duodecimam continuent, postea ad mensam accedant dictis precibus sumtoque cibo gratias Deo agant. Finito prandio in templum redeant & conventum prolixiorem agant, nec vespere cubitum eant, nisi faciem cadentem *falsa pagina exceperit.*

§. VII. Quod denique ad cæteros S. virginum labores attinet, oportuit eas in cubiculo quasi clausas permanere, nec in publico conspiciri, nisi cognitorum aliquis obiisset, ejusque funus curandum esset. De cætero monet S. Athanasius, ne balneis utantur, nec nisi faciem ac manus layent, ne unquam se denucent, semper lanam in manibus habeant vel ex stramine fila deducant vel ad torquenda subtegmina fusum vertant, ab aliis neta in globum colligant & lanificio vestes & victum sibi comparent. Unde constat in primitiva Ecclesia S. virgines æque ac monachos, de laboribus manuum suarum vixisse. Plura de monialibus veterum qui posse desiderat, legat S. Athanasium d. I., S. Basiliūm in libellis de virginitate, S. Auguſtinūm lib. I. de morib[us] Ecclesia Catholica, & S. Hieronymūm in Epistola de virginitate custodienda.

§. IIX. Quales in oriente moniales fuerint, diximus: jam porro moniales occidentis spelemus, ubi notandum, quod prima omnium fuerit Scholastica foror S. Benedicti, quæ sub finem Seculi VI. moniales ad regulam fratris sui vivere docuit, ut refertur in Chronico Panthaleonis. Scribit Gregorius M. jam suo anno h. e. Seculo VII. ineunte, tria millia monialium Romæ fuisse Lib. 6. Ep. 32. Si quæ virgo in ordinem monialium recipi velleret, haec integro anno a cæteris probari solebat, quo completo si honeste se gesserat, ab Episcopo velabatur ex decreto Concilii Aurelianensis V. Anno Christi 522. Accepto velamine exercitia monialium erant legere sacra, canere hymnos, memoria mandare Psalmos, agere horas Canonicas. De cætero in eodem cum reliquis dormitorio cubabat & statu tempore ad commune convictionum accedebat, sed cum viris omne commercium illis erat interdictum, adeo ut ne quidem cum consanguineis nisi in suspectu testium colloqui liceret, ex decreto Concilii Cabilonensis Canon. 59. 61.

§. IX.



§. IX. Extra portam claustrorum nulli monialium procedere licuit, & si qua stuprum commisisset, ordinaria ejus poena erat flagellatio & perpetuus carcer, in quo cum pane & aqua, quod vita reliquum erat, pœnitens transfigebat, ex constitutione S. Bonifacii Frisiorum Apostoli, qui inter primos ordinem Monasticum A. C. 740. Germania contulisse videtur. Ex Collegio Monialium Abbatissam fieri, infra 60. annos prohibuit Gregorius M. in suo Registro. Officium Abbatissæ erat in choro monialium præsidere, & in frugali vietū & amictū rigidaque disciplina monialibus suo exemplo præire, iisque de vietū & uestitu propiscere. Cumque sub Carolo M. lascivæ quadam Abbatissæ sub religionis prætextu Romam ad sepulcra Petri Pauli peregrinarentur, Concilium Foro Iuliacenæ id prohibuit Can. 12.

TONSURA MONIALIVM.

Licet Apostolus tondere comam fœminis probro vertat, eam-que rem Synodus Gangrensis Can. 17. prohibuerit, & S. Hieronymus in fœminas invehatur, quæ crines amputant, eoque eru-
bescunt esse id, quod nata sunt, ut loquitur Hieronymus; nihilominus jam Hieronymi ævo mos in Syria fuit tondendi virgines Deo devotas, teste S. Hieronymo in Epistola ad Sabinianum. Sed olim alia ratio suberat, nam veteres moniales se nec lavabant, nec oleo utebantur, ideoque tonderi oportuit, ne salvo honore a pediculis opprimerentur. Hodie autem cum moniales balnea frequentent, tondere eas non erat necesse. Alii hunc morem tondendi S. virgines ab Ethnicis derivant. Solebant enim Romani virgines vestales tondere, earumque crines ad Leton vetustam Romæ arborem, quam ideo capillatam dixerunt suspendere, teste Plinio, l. 16. c. 44. vide quoque Majolum p. 2. dier. Canicul. coll. 1. p. 72. & Rosin. l. 4. c. 7. lit. G.

DE MONASTERIIS.

§. I.

Loca, in quibus religiosi habitabant, monasteria vel cœnobia vocabantur. Est autem inter monasterium & cœnوبium duplex differentia. Nam i. monasterium unius habitaculum,

sed cœnobium convictus plurimum dicebatur, teste Isidoro lib. 2.
de div. officiis. Verum hæc differentia hodie non attenditur
2. monasterium ipsa monachorum habitacula, sed cœnobium
rationem vivendi in communi vel ex communi massa denotat.
Dicuntur alias claustra, perperam clostra, unde germanice Klo-
ster a claudendo, cuius vocis hanc originem Cuspinianus in Au-
stria sua reddit: *Pii Christiani, inquit, olim indignum censebant,
maleficium extremo supplicio seu perpetuo exilio mulctare, ne in des-
perationem inciderent, unde domos undique clausas condiderunt, in qui-
bus miseri illi perpetuam pœnitentiam agerent ab omni hominum con-
sortio remoti.* & hi ex eleemosynis transeuntium periude ac cœnobita ex
annuis redditibus vivebant. Hæc Cuspinianus.

S. II. Verum hic mos primis Christianis non fuit. Apud
hos enim monachi non ex eleemosynis sed ex labore manuum
vixerunt. Primus autem fuit A.C. 640. Dagobertus Rex Fran-
ciae, qui homines exilio mulctandos ad agendam pœnitentiam
in claustra detrusit, teste Stumphio in Chron. l. 3. c. 16. Post
illa viri etiam pii & innocentes, qui propterea sancti clausi vo-
cabantur, germ. Klüsner/ hæc loca veluti spontaneos carceres
subierunt, ut ibidem Deo & bonæ menti vacarent. Alias mona-
sterii nomen & olim, & ad hunc usque diem non cœnobitis tan-
tum, sed ecclesiis cathedralibus datum est. Hinc adhuc Eccle-
sia collegiata dici solet, ein Münster. Origo hinc est, quod ve-
teres Episcopi, Basilius M., S. Augustinus & alii intra suas ecclie-
sias habuerunt collegia, vel cœtus studiosorum, quos in literis
præsertim sacris informarunt, & veluti monachos, ad certam re-
gulam vivere docuerunt. Dicta porro sunt Asceteria h.e. loca
Exercitoria, quod his locis in studio pietatis omniumque virtu-
tum exercentur.

S. III. Quod ad loca cœnobiorum attinet, nos jam supra
ostendimus primos monachos in eremis vixisse, postea Basilius
M. cœnobia ad loca urbibus vicina transtulit. In Germania hoc
discremen invenimus, quod pleraque cœnobia ordinis Benedicti-
ni in collibus & montibus. Sed pleraque cœnobia ordinis Bern-
hardini in vallibus & locis umbrosis sita sint; Qua de re elegan-
ter Casparus Bruschius in eruditio libro de monasteriis Germaniae
dixit:

Val.

Vallis sylvestribus undique cincta
 Arboribus divus Bernhardus amenaque prata
 Colles & montes Benedictus amavit & arces
 Cælo surgentes ex quarum vertice late,
 Prospexit petitur, secessum plebis uterque.

§. IV. Locum in quo monasterium exstrui debet synodus Moguntina A. C. 813. talem definit, in quo necessaria ad viëtum facile haberi possint, ne necessitas monachis vel monialibus detur crebro cœnobio exeundi : Et quo loco pudicitia probe sit custodita, & quibusdam quasi cancellis inclusa. Hinc in hunc usque diem pleraque monasteria in locis amœnioribus & maxime fertilibus sita sunt, adeo, ut nonnulli de fertilitate alicujus territorii judicent, si multa ibidem monasteria exstant. Sed non male conqueritur Trithemius Abbas Spanheimensis in Chron. Hirsangieni, veteres monachos cellas habuisse tenebrosas, sed corda virtutibus illustria, hodiernos autem monachos lucidas habere cellas, sed corda vitiorum tenebris obdulta.

MONASTERIA VETERVM SCHOLÆ.

Primitus fere quinque seculis ecclesiæ, monachi pauperes fuerunt, nec aliunde, quam de manuum operibus vixerunt, nisi per accidens eleemosyna alicui daretur. Hinc errant, qui prima ecclesiæ monasteria scholas fuisse existimant. Verum a tempore Gregorii M. cum ex amplissimis donationibus regum & principum monasteria ditescerent, monachi non necesse habuerunt, ut suis sibi laboribus viëtum pararent. Igitur ne otiosi defiderent libris condendis operam dederunt vel novitios in eruditione & pietate informarunt. Sed, si qui monachi nihil horum possent, juxta veterum morem labores manuum tractabant vel cibum coquendo vel hortos aut agros colendo. Testem hujus rei laudamus Trithemium, qui lib. i. de viris illustribus cap. 6. de Benedictinis scribit : *Qui ex his in sacris studiis exercitati erant, vacantibus precum horis in exponendis sacris literis occupabantur, alii libros bono publico edebant, alii a doctoribus consignata ad mundum redigebant, alii libros in membrana scriptos affabre compingebant, alii*

cor-

corrigebant, alii rubro minio exornabant, ut adhuc videre est in antiquis membranaceis libris: Alii juniores in sacra disciplina vel grammaticis vel in Calligraphia, vel in dialecticis vel in musicis erudiebant, & ex hac monachorum institutione plerique sequiorum temporum viri sancti & docti, imo omnia scholasticorum agmina, quos Apologetia August. Confess. magnos & ingeniosos vocat, in bonum ecclesiae prodierunt.

CLAVSTRA MONIALIVM.

§. I.

Sicut primi christiani nec tempula, nec cœnobia, qualia nunc sunt habuerunt; ita nec martyrum ævo claustra monialium fuerunt, sed si qua virgo relictis seculi curis Deo se consecrasset, domi cum parentibus vel cognatis suis, vel cum una aut altera sodalium, quæ & ipsæ Deo erant devotæ, manebat, teste S. Cypriano lib. de habitu virginum, ubi sacras virgines reprehendit, quæ ad nuptias, ad choreas, ad convivia ibant. Sed sub Constantino M. cum pax ecclesiæ redderetur, monasteria virginum, sed valde rara, exstrui coeperunt. Nam hac ætate S. virgines domi sua juxta veteres mores sub imperio parentum commorari Deoque in clauso cubiculo inservire maluerunt, ut docet S. Athanasius lib. de virginitate.

S. II. Si qua virgo parentibus orba esset, hæc honestiori matronæ aut seniori viduæ aut episcopo in tutelam commendabatur ex decreto concilii Carthag. III. A. C. 399. Sed circa postremum hoc mature abusus invaluit. Nam episcopi has virgines clericis commendabant, unde prodierunt postea extraneæ, quæ cum viris sub eodem tecto dicam an lecto cubabant, eoque non obstante virgines censi volebant. In quam rem ita invehitur S. Chrysostomus sermone, quo S. virgines ita compellat: *Ipsa confabulatio, ipse concubitus, ipse complexus, ipsa osculatio, & conjacendum duorum turpis dormitio quantum crimen habet? si sponsus ita sponsam deprehendat, annon fremeundus gladium arriperet? Quid Christum futurum putet, cum te suam sponsam talem videt?* De catero claustra monialium veterum VI. demum seculo increbuerunt, sed hac lege, ne monachorum claustris contigua essent propter faci-

402) 17 (20

facilem sequioris lexus lapsum & ad vitandas calumnias ex decreto concilii Agatensis can. 19.

MVL TITVDO MONASTERIORVM.

§. I.

Lapsu temporum tot monasteria intra ipsam quoque Germaniam sunt condita, ut tandem oneri potius reip. quam ornamento fuerint. Observo autem tres quasi fontes, e quibus hæc monasteriorum multitudine promanavit. Et (I) quidem ex præclaro & laudabili zelo pietatis & literarum studia promovendi. Nam cum monasteria essent scholæ publicæ pietatis officinae, seminaria ecclesiæ, e quibus viri docti & sancti catervatim prodibant, reges & principes monasteria insignia, in quibus juventus informari posset, perinde at hodie academias & gymnasia considerunt, iisque de amplissimis redditibus prospexerunt, ne quid monachis in docenda juventute deesset.

§. II. Secundus fons est, ex somniis, spectris, apparitionibus, miraculis, quorum non pauca sequioribus seculis sunt efficta, nec raro præstigia dæmonum ad confirmandum purgatorium accesserunt, imo quo magis doctrina de purgatorio invaluit, eo plura monasteria, homines variis visionibus territi considerunt, III. Fons est, pervulgata olim doctrina de meritis operum & monachorum apud Deum intercessione. Nam quo plures monachos aliquis nutriebat, eo plures apud Deum intercessores & mediatores habere credebatur, quæ res non paucos induxit, ut pro remedio animæ suæ (ita enim in donationibus communiter loquuntur) monasteria vel fundarent vel amplissimis redditibus dotarent.

ADVOCATI COENOBII.

§. I.

EX quo monachis integra sæpe territoria, oppida, arces, pagi, aquæ, piscinae, molendinæ, prata, pascua nemora, cum omnibus juribus & privilegiis concessa sunt, sæpe monachis actiones forenses incubuerunt, sed juxta veterum mores nec monachis, nec clericis seculares judices vel tribunalia adire licuit, delegerunt igitur ex laicis viros prudentes, qui jura & bona cœnobii in

C

fo-



foro defenserent, uti statutum est in Concilio Milevitano S. Augustino Praeside circa annum C. 402: & hinc natum est celebre illud, hodieque receptum *Jus Patronatus*, Germanice *die Rasten Vogtey*. Patronus autem Ecclesiae olim erat, qui causam Ecclesiae vel cœnobii in foro tuebatur, dicti sunt idem Advocati cœnobiorum *Rasten Vogte Schirim Herren* it. Procuratores *Schafner oder Pfleger*.

*Q*uidam S. II. Lapsu temporum liberum fuit Abbatibus, patronum quemcunque vellent e laicis eligere, sed saxe contigit, ut ipsi Reges & Principes vel sua sponte vel Abbatem, vel Conventu electi tutelam cœnobii susciperent, quos Germani vocant *Edle Schutz Vogte* / qui scil. bona monastica seculari etiam brachio tueri possent. Ex his patet media ætate, monachos negotiis secularibus se non immiscuisse, sed curam de redditibus cœnobiorum advocatis incubuisse. Primum omnium fuit cœnobium Campidonense ad fines Sueviae situm, cuius Abbatii Carolus M. A. C. 780. jus gladii dedit, dum constituit, ut Campidonæ Abbas mane missam ageret, sed a meridie gladio uteretur & secularia tractet. Hinc natus est versiculos:

Kampidona sola judicat ense stolam.

Simile privilegium Dux Francæ Pipinus dedit cœnobia & pernacensi, quod nullius nisi DEI mundiburdio subesse voluit, uti referi Bruschius de monasteriis Germaniæ. Mundiburdium apud veteres nihil aliud erat nisi tutio monasterii vel *Jus Patronatus*, de quo vid. Vossius in tractatu de vitiis linguae latiniæ. Post Sec. VIII. usque ad nostra haec tempora Abbates contra morem veteris Ecclesiae negotiis secularibus se immiscuerunt, adeo, ut coelestibus relictis Domini terreni & Principes secularares vel principibus pares nonnulli sint facti.

STYLITÆ.

S. I.

STYLITA proprie dicitur, qui columnæ insistit, ubi imprimis notanda est differentia inter στύλην & στύλον. Nam στύλη erat Ciprus (vel lapis ex terra extans) tumulo impositus cum epitaphio, quales cippi erant Ægyptiorum pyramides, quin & τάις στύλοις igno-

ignominia causa maleficiorum nomina & facinora inscribi solebant, imo erant hujusmodi columnæ tabulæ proscriptorum. Hinc epistola σηλίτευτικὴ dicitur scriptum famosum (Paphill) & σηλίτευμένος qui ad hujusmodi columnam statuitur. Verum stylita ἀπὸ τῆς σύλλα, eum denotat, qui in columna confixit, latine stationarius dici posset uti exponit Evagrius lib. 1. c. 16.

§. II. Super his columnis, quas σύλλας diximus in veteri Ecclesia novus religiosorum ordo stetit, cuius venerabilis inceptor fuit Sec. V. Simeon Stylita, qui prope Antiochiam a puerō rei monasticae afflatus postea in erēnum per triennium sub spelunca clausa delituit. Sed cum nec hoc modo sibi satisficeret, primus novum & haec tenus in ecclesia inauditum genus vivendi in columnis adinvenit. Erexit igitur columellam sex tandemque 36. cubitorum, in qua perdius & pernox stetit. Supra columnam extabat modius vel domicilium in quo veluti cathedra, ceu publicus mundi ecclesiastes stabat, homines infra stan tes docebat, & variis miraculis, si vera sunt, quæ Metaphrastes refert, per totum fere orbem inclaruit. Scribit Gregorius Turenensis, quod hoc loco, si templum conditum, in quod nulli mulieri intrare fas fuerit, cum Simeon nunquam oculis attentis mulierem observasset, & ne propriæ quidem matri ad se accedere permisisset, voluisse aliquando fœminam virili amictu ingredi, sed hanc subita morte correptam.

§. II. Simeonis primi Stylitæ Discipulus fuit Daniel, cui noctu ventus tunicam abstulit, ipse nivis obrutus mane mortuus fuit repertus. Præter hos inter stylitas eminuit Alipius dictus Cionita, quod ἐν τῷ κιονῷ h. e. super columnam per 70. annos omnibus cœli injurijs expositus stetisset. Habuit ille duos choros discipulorum, alterum monachorum, alterum virginum, cum quibus alternos hymnos perdius & pernox cecinit. Virgines in primis monuit, ne a Viro conspici se paterentur, in quadragesima faciem adeo lacerasse fertur, ut spectatores ipsum Christum se videre putarent, prout, hæc omnia Simeon Metaphrastes recenset. His stylitæ perpetua statione in columnis se macerabant, neque enim tantum spatii habebant, ut decumbere possent. Sedere quidem potuerunt, sed nusquam lego sedisse. Videtur hæc vivendi ratio

nimis rigida, imo superstitionis; Ideoque in ecclesia altas radices non egit, sed eodem, quo cœpit, Seculo V. exspiravit.

BASILIANI.

§. I.

Basiliani, quorum ordo fere solus apud Græcos obtinet; Seculo IV. exente cœpit, autore Basilio M. hac occasione: Erat Basilius Presbyter Eusebio suo Episcopo invitus, adeo ut hic illum ordine sacro ejectum vellet, quo animadverso S. Basilius quod concordia studiosus esset, sua sponte presbyteratu decessit, & in insulam Pontum ad vitam monasticam se recepit. In suo illo recessu monachos ex latebris & speluncis suis, in quibus haec tenus latuerant, primus protraxit, in certa collegia distribuit. Lisque regulam vivendi primus tradidit, cum haec tenus monachorum quisque ad arbitrium suum vixisset, ut proinde S. Basilius M. sit Autor omnium monachorum in Gracia, secundo autor cenobiorum, cum ante Basilium M. monachi sparsim viverent, & tertio denique autor regularum monasticarum.

§. II. Præterea Basilius M. cenobia non in locis solitariis, sed in vicinia urbium esse voluit, ideo ut monachi in casu necessitatibus bono publico inservire possent. Extat hodie Regula S. Basilii capitulis 95. sed an genuina hæc sit qualis hodie habetur, merito dubitatur. Existimat Vadianus in lib. de partib. terræ, monasteria Basilii M. scholas pietatis fuisse, in quibus monachi abjecta seculi cura eruditioni & virtuti litaverint. Sed sine dubio errat Polydorus Virgilius qui lib. 7. de inventoribus rerum c. 2. a Basilio M. vota monastica cœpisse scribit: Sed de votis in tota Basilii regula est altum silentium. Extant quidem sermones ascetici Autore Basilio scripti, in quibus vivendi ratio veterum monachorum prolixe describitur, sed nec in illis legitimus monachos votis adstrictos. Refert porro idem Polydorus Autore Basilio M. apud Græcos cenobia utriusque sexui viris & feminis communia muris tamen & aspectu disjuncta, cœpisse. Ita ut virgines superiora, monachi inferiora domus inhabitaverint, templa autem communia acceperint. Quicquid de eo sit, in conciliorum historia passim canones legimus, quibus talia cenobia prohibentur, & viri seorsim a moniali- bus

bus habitare jubentur. Nihilominus sequiori ævo circa A.C. 1360. S. Brigitta Dux Sueciæ damnatum morem renovavit conditis cœnobii, in quibus monachi & S. virgines habitacula communia habuerunt, imo nonnulli eo processerunt, si fides habenda sit Alveario Romano, ut monachum & monialem eodem lecto componerent, interjecta solum imagine Crucifixi, vid. de ordine S. Brigitæ Alberti Cranzii Metropolin. lib. 9. c. 52.

HIERONYMITÆ.

S. I.

S. Hieronymum monachum fuisse nemo dubitat. Abiit primum in Syriam egregia Bibliotheca instructus, ibique in eremo turgiolum exstruxit, quo relicto per varias terras peregrinatus est, donec tandem ab Arianis graviter vexatus in eremum longe remotissimam secederet, dicens: Melius esse inter bestias agere, quam cum perversis illis Arianis, Ibi vero per quadriennium crebras tentationes carnis, de quibus passim conqueritur, maxime de amissa virginitate sustinuit. Interea libros suos evolvit, præsertim sacras literas memoria mandavit, linguas, præsertim Ebraeam, addidicit, donec invitus ex otio illo liberali Romanam traheretur, ubi talem se gessit, ut mortuo Damaso Papa dignus haberetur, qui fieret Pontifex Romanus. Sed quia clerici illum oderant, quod mores ipsorum nimium perstrinxisset, papatum non obtinuit. Egressus Roma, quam subinde Babylonem vocat, Syriacas suas solitudines repetuit, præsertim in oppido Bethlehem juxta præsepe Domini sedem sibi fixit, cumque ibidem nobilis matrona Paula, quatuor monasteria, tria virginum, quibus ipsa præferat, unum virorum condidisset. S. Hieronymus jam senior factus virorum collegio se ibidem adjunxit, ubi primaria ejus opera fuit versio S. Scripturæ ex Ebræo in sermonem latinum. Tandem in Bethlehemita cœnobia senex nonagenarius decessit A. C. 422. prout hac omnia refert Erasmus in vita Hieronymi operibus ejus præfixa.

S. II. Verum hodiernos monachos, qui S. Hieronymi regulam profitentur, autore Hieronymo cœpisse, non sit verosimile. Nam hodierni monachi ab iis qui tempore S. Hieronymi vixerunt

runt tōto cōlo differunt. Nam (1) Monachis tempore S. Hieronymi ire & redire licuit, quo vellent, hinc legimus ipsum S. Hieronymum in monachatu subinde peregrinatum ; sed hodierni monachi cōnobii quasi clausi continentur, nec sine consensu Abbatis licitum est evagari. Secundo veterum monachorum vestitus erat simplex & ex cuiusvis arbitrio, non lege aliqua sumptus nec aliqua novitate insignis. Sed hodierni monachi singuli juxta suos ordines sibi proprium habent vestitum, quo & invicem, & ab aliis dignosci possunt. Ipsi qui hodie Hieronymitae vocantur, noscuntur ex pallio rugato & scisso, sub quo tunicam habent zona scorteia succinctam. Pedes quoque ligneis soleis loco calceorum adstringunt, qualis amictus nusquam in toto Hieronymo legitur. Tertio veteres monachi nullis erant solennibus votis adstriciti, & si quem suscepit monachatus penitentia, alia pena non erat, quam quod haec mutatio levitatis vel inconstantiae nota haberetur; sed hodie monachi omnes tribus solennibus votis adstringuntur, ut proinde ævum S. Hieronymi, quales hodie sunt, monachos plane ignorari.

CANONICI.

S. I.

Canonici in veteri ecclesia a monachis multifariam erant distincti. Eti: Nam monachus olim penitentis sed canonicus docentis officium sustinebat. Monachi erant homines privati, sed canonici publico ecclesia ministerio addicti, imo tantum discriminis olim erat inter monachum & canonicum, ut Urbanus II. publico edicto prohibuerit ne quis canonicus fieret Monachus, nisi graviter lapsus; Si quis contra hoc ageret, is in ordinem canonicorum redigeretur, ita tamen ut semper ultimus esset in choro, & cucullum ignominæ loco ferret. Interim & monachi & canonici fuerunt religiosi, imo clerus canonicus ad exemplum vita monastica primum inductus videtur. Sicut enim monachi ad certam regulam, sic & canonici ad certum canonem, unde canonici dicuntur fuerunt adstriciti. Hinc in hunc usque diem multa antiqua collegia canonicorum monasteria à monachis dicuntur Gerim. Münster. V. not. ad p. 20.

S. II.



§. II. Circa ordinem canonicorum notari oportet, quod in veteri ecclesia trium generum clericis fuerint: Peregrini, titulati, canonici. Peregrini vocabantur clericis, qui aliunde venerunt tanquam Hospites, vel ex suscepito itinere vel quod ab Arianis aut alio per hostes casu ab ecclesia sua depulsi essent. Hos tamen non receperunt in aliis ecclesiis nisi formatas secum deferrent; Hinc in concilio Antiocheno decretum est, ne quis peregrinoru[m] clericorum sine Formata, quam Graci *equivocav* vocant susciperetur. Erant autem Formata litteræ commendatissimæ, quas episcopus clericis peregrinantibus ad testandam eorum fidem catholicam dabat. Eadem quoque pacificæ (dimissorie) vocabantur, ideo quod cum his clericis ab una Ecclesia ad aliam dimitterentur. Titulati erant clericis, qui ad titulum alicujus ecclesiæ tanquam ordinarii ministri, erant deputati, dicuntur a titulo, quo nomine veteres tempora sua & publica oratoria insignire solent. Idem vocabantur Cardinales, quod nomen hodie in solo clero Romano conservatur. Sed olim Clerici Cardinales vocabantur, omnes qui certæ alicui ecclesiæ, unde titulum habebant, erant incardinati, i.e. in matriculam clericorum alicuius ecclesiæ inscripti. Canonici denique erant clericis, qui non tantum in certam ecclesiast errant intitulati vel incardinati, sed præterea secundum certos canones sub disciplina vivere cogebantur, ad quos canones alii clericis, non erant adstricti. De cætero communis est sententia, canonicos a S. Augustino cœpisse, & factores de S. Augustino tale quid in vita ejus a Posidonio referri, quod nimis Augustinus Hippona episcopus factus juxta suam ecclesiast in usum clericorum monasterium condiderit, ex quo multi pii & docti viri prodierint.

§. III. Quod ad vivendi rationem attinet, canonici, omnes erant clericis, & sacris ordinibus initiati, alii populum ex cathedra docebant, & hi Presbyteri canonici, alii ad altare ministrabant, & hi Diaconi canonici, alii sacros hymnos canendo populo præbant, & hi cantores canonici; alii sacros textus populo prælegebant, & hi lectors canonici vocabantur. Sustentabantur ex communi ecclesiast massa, unde quotidie suam singuli pensionem, quam & ipsam suum canonem vocabant, accipiebant. De cætero æque ac cœnobita in eodem refectorio simul comedebant,

bant, in eodem dormitorio una cubabant. Custos disciplinæ inter, canonicos erat Decanus vel præpositus, qui & ipse cum toto canonicorum collegio episcopo erat subiectus.

§. IV. In his canonicorum capitulis studia literarum olim tractabantur idque adhuc referunt nomina decanorum, præpositorum, scholasticorum, cantorum, &c. quæ omnia redolent Scholas, imo ob hanc causam Imperatores in dotandis & ditanis Collegii Canonicorum adeo munifice fuerunt, ut rempublicam literariam conservarent. Neque vero alias ex omnibus imperatoribus hac in parte munificentior fuit Carolo M. primo Germanis imperatore Romano, is enim præsertim in hac inferiori Saxonia multas ecclesiæ cathedrales v. g. Osnabrugæ, Halberstadii, Monasterii, Hildesii, Verdaæ, Bremaæ, Mindæ, Laderboræ, Mindæ, fundavit, iisque Collegia Canonicorum adjunxit, in quibus Canonici disciplinas & literas profiterentur, & Juventus ad obeunda officia publica, proinde ut hodie fit in Academiis præpararetur. Hinc in fundatione Osnabrugensi Carolus M. ita loquitur: *Nos inter Canonicos Gracias & Latinas Scholaras instituimus in perpetuum; itaque nunquam Clericos utriusque Lingua gnavos defuturos confidimus.* Videatur de capitulis illis Canonicorum Metropolis Cranzii. Quin & Reges & Principes ad Collegia Canonicorum liberos informandos miserunt, sic in Collegio Hildesiensi Otto M. & Henricus V. a Canonicis sunt educati. In Collegio Leodiensi aliquando sex juvenes Principes studiorum causa vixerunt, teste Chemnito in Præfat. Exam. Concil. Trident.

§. V. Post illa cum Canonicci a primâvo hoc instituto desfeterent, ex oblationibus fidelium ditescerent, nec juxta canonem viverent, etiam scholæ canonicorum interciderunt, & cum Canonicci otio torperent, in locum Collegiorum Canonicorum Academiae successerunt, quarum origo per Germaniam in Sec. XIV. incidit. Sed & porro Canonicci sequiores sunt bipartiti: Alii regulares, quod proprius ad regulam veterum accederent; Alii seculares & irregulares dicti sunt, cum tamen Canonicus irregularis videatur esse contradic̄to in adjecto. Cœperunt hi irregulares A. C. 977, a Canonicis Trevirensibus, qui omnium primi spretis canonibus seculares dicuntur facti apud Trithemium in Chro-nico Hirsaugiensi.

§. VI.

§. VI. Quod dehinc ad hodiernos Canonicos attinet, hi five regulares sint five irregulares a veteri Canone vel vivendi regula omnes fere alieni sunt. Nam *Canonici seculares videntur monstrari exemplo, Regulares sine regulâ, Canonici sine canone*, ut Cranzius eos vocat, in Metropoli L. 3. c. 15. Neque enim sub regula vivunt, quia sunt seculares, neque in Canone vivunt, neque aliunde vere sunt *Canonici*, quam quod sessionem habeant in choro, unde dicuntur *Chor-Herren* / nec officii sed ornamenti causa Ecclesiam frequentant, ut portiones sacras lucentur. Sed & hi, qui Regulares dicuntur priscis illis valde sunt differentes; quia (1) se ab obedientia episcoporum subtraxerunt, & sua sibi propria habent Capitula, adeoque cum Episcopis condominium. (2) Nec hi regulares Ecclesiae in qua vivunt, docendo subservient & perinde esset illi Ecclesia si non essent. Vestitus canoniconum hodie est candida tunica, linteal toga & pallium nigrum, Vid, Sabellius Ennead. 7. L. 9,

CANONISSÆ.

§. I.

Cooperunt *Canonissæ*, h. e. mulieres quæ sub Canone vixerunt A. C. 817. in Concil. Aquisgranensi, in quo auspice Ludov. Pio 80. canones sunt traditi, secundum quos Imperator Monachos omnes per totum Imperium vivere voluit. Exempla horum Canorum per omnia præsertim Germania Monasteria sunt transmissa, ut referunt Annales Francorum. In eodem Concilio ordo mulierum Canonicularum coepit, teste Laurentio Surio de vita Sanctorum in vita Mainulphi. Habent autem *Canonissæ* duo propria. (1) In virginitate vivunt. (2) Nullo voto tenentur. Habitant quoque in Collegiis Canonicorum, ita tamen ut nubere ipsis & ad Seculum redire liceat.

§. II Cum in hunc quoque ordinem varii abusus irrepsissent, avorum memoria *Canonissæ* sunt reformatæ, iisque hac V. capita præscripta, scilicet (1) ut si mensam communem habere nollent, saltum commune haberent dormitorium, ita ut altera alterius pudicitia custos esse possit. (2) Ut vestito modesto, pudico ac mundo nec procaci aut splendido incederent, (3) ut ita viverent, ut Monasteria earum Scholæ pietatis, castitatis & virtutum officinæ essent, D

sent, quibus nobiles puellæ committi possint, (4) ut si vellent, nec
continerem posse, nuberent. (5) Ut si quis accusaretur, Episco-
pi judicio staret. Quæ omnia sunt transacta in Comitiis August.
sub Carol. V. & Ferdinando I. In Jure Canonico de Canonis
multa habentur, præsertim Episcopis jubetur, ut Collegia harum
virginum quotannis visitent, ut patet ex Clement. Lib. 3. Tit. 10.
c. 2. Verum Pontifex Romanus ne in hunc usque diem induci
potuit, ut hunc ordinem confirmaret.

ACOEMETÆ.

Acoemeto, h. e. Monachi insomnes dicti sunt, qui noctu & inter-
diu vigiles, DEO semper laudes & hymnos obtulerunt. Non,
quod singuli semper vigilarent, sed quod cœtus ipsorum in tres
Clasæ divisus esset, e quibus semper aliqui publicas preces ege-
runt. Cœpit hic ordo Constantinopoli A. C. 459. Auctore viro cla-
rissimo Studio urbis Consule, a quo idem studita dicti. Circa A.
C. 540. Accemetæ fere omnes in heresim Nestorii inciderunt, ideo-
que a Justiniano Imperatore condemnati & a Constantino Copro-
nomo ab Imperio sunt proscripti. Vid. Nicephorus Lib. 15. c. 23.
Postea tamen circa annum Christi 820. Theodorus, vir e scriptis
hodienuum clarus & cognomine Studita dictus, Monasterium a Stu-
dio conditum renovavit, & Accemetis regulam vivendi, carmine
præscripsit, in qua varias pœnas statuit, in Monachos loquaculos,
qui juvas frangerent, qui fratrem offenderent, qui tardius surgerent.

BENEDICTINI.

§. I.

PEr occidentem vita monastica Sec. V. inclinavit, auctore Benedi-
cto Nursino, qui A. C. 480. in Italia apud Umbros fuit natus,
sed circa A. C. 494. Roma e Schola abiit, pertæsus bellicos tumul-
tus, qui sub Justiniano imperium turbabant. Abiit vero cum nu-
trice sua in solitudinem, ad quam cum homines agmine facto, fa-
ma sanctitatis ejus adducti, concurrenter, ipse ex solitudine ad
vetustum oppidum Umbriæ Cassinum se contulit, in quo olim ca-
strum & altare Apollinis fuerat, quibus dirutis ipse A. C. 530. Mo-
nasterium ibidem condidit & monachos solitarios per Italiam disper-
fos

sos coēgit in cœnobium, iisque similem vitam, qualem Basilius M. in oriente monachos docuerat, ipse omnium primus in occidente præscripsit. Hinc adhuc S. Benedictus pater omnium monachorum in occidente fertur. Condidit autem XII. Monasteria e quibus primarium fuit Castinense, Huic patricius quidam Romæ Tertullus, omnia sua bona, castra, prædia, villas testamento legavit. Tandem antiquissimum hoc cœnobium adeo ditatum est, ut annui ejus reditus ad 40000, aureorum accesserint.

§. II. Olim receptio monachorum in hunc ordinem his ritibus fuit peracta. Candidatus ordisis in oratorium ducebatur, ibique h. m. promittebat: *Ego N. N. in nomine Dei promitto stabilitatem vitae conversionem morum & obedientiam sub Abbe coram Deo & sanctis eius.* Hanc formulam scripto consignabat, & subscriptam in altare exponebat. Hodie tamen pro morum confessione & stabilitate subfitterunt continentiam perpetuam & paupertatem extremam. Post hanc professionem dicto versiculo: *Suscipe me Domine, litania canitur, novitus interim toto corpore humili prosternitur.* Post Litaniam preces pro novello fratre dicuntur, & novitus vulgari suo vestitu exiit, dicente Abbe: *exuat Deus veterem hominem, datoque osculo cæteri fratres accedunt, novitius gratulantur, eique osculum pacis præbent.* Hic vero per triduum in silentio sedet & quotidie missam accedit, pro ut hac resert cardinalis de turre eremata.

§. III. Quod ad vestitum attinet; S. Benedictus tria genera vestium monachis suis concessit: tunicam, cuculum & scapulare. *Tunica* est vestis, quam monachi sub cucullo gestant, qua corpus undique tegitur, sed sine caputio. *Cucullus* vel *cappa* est vestis a capite defluens usque ad plantas, qua tunicam tegunt. *Scapulare* dicitur, quo imprimis scapulas contegunt. Tales olim vestes Rustici Samnitæ ideo gestarunt ut ad operas suas expeditiores essent, nec exteras vestes macularent; & ob eosdem fines S. Benedictus monachos suos rusticis illis vestiti similes esse voluit. Hodie Benedictini omnes nigro colore vestiuntur, tunica laxa cucullo in scapulas rejecto & tunicula candida, ut refert Sabellius Ennead. 8. L. 2. Ipse quidem Benedictus monachis suis liberum reliquit, quo colore vestiri vellent, sed monachi nigrum eligerunt; an ideo quod scriptum sit: *Hic niger est, hunc tu Romane caveto, alii arbitrentur.*

Denique notetur, quod S. Benedictus Monachos suos vestitos dormire jussierit. Nam in Reg. sua c. 22. duas tunicas concessit, quarum alteram ne nocte quidem exuerent. Sed hæc regula Benedictinis gravior visa est, quam ut servari possit, ideoque posteri hanc legem abrogarunt.

S. IV. Circa vietum hujus ordinis sciendum est, quod Benedictus satis tenuem præscriperit, nempe duo pulmentaria cocta & aliquando tertium de crudis leguminibus. Pulmentaria autem vocat, cibos e piscibus aut herba, aut farina aut caseo factos: imprimis notabile est, quod S. Benedictus suo ordini perpetuum carnis esum interdixerit, nec feras tantum quadrupedes; sed & aves comedere prohibuerit, ad libidinem coercendam, quam caro comesta sovet. Hinc in hunc usque diem Benedictini omnes per Italiam, ab esu carnium simpliciter abstinent, sed circa Benedictinos in Germania Pontifex dispensavit. Audio hanc rationem dari; quod in Germania non sit tanta vini copia, qua carnis primum solari possit. Sed & quo ad potum S. Benedictus modicum inter suos vini usum esse voluit, vinum aqua multa diluere, & sedulo cavere iussit, ne quis vino inebriaretur, quod tamen Benedictini prodigiose violent, ut jam suo ævo de iisdem conqueritur S. Bernhardus. Vidi, inquit, in uno prandio ter quaterve semiplenos calices allatos, ut Monachi diversa vina odorarent, priusquam biberent. Et in aliquibus Monasteriis audio receptum ut in magnis Festis vinum melle fit delibutum, quod in conventu bibitur, an hoc sit ob stomachi infirmitatem? Omnes enim ex quo Monachi hodie sumus de infirmo stomacho conquerimur. Ego puto de his valere, quod dixit Deus; Vobis, qui vinum in dulcedine bibitis! Haec tenus S. Bernhardus in Apologia ad Wilhelmum Abbatem. Observat Balæus Cent. 2. c. 15. Monachos in Anglia primum post medium Sec. IIIX. vinum bibere cepisse cum ante hac aquam vel lac bibissent.

APOSTOLICI.

S. I.

Fuerunt olim in Britannia Philosophi Bannocorenses dilecti, qui ad fidem Christianam, conversi A. C. 130. collegium suum in Monasterium transformarunt. Hi ex Philosophis Monachis facti, neque

que juxta regulam Benedicti, nec Basili M. sed ad Apostolicum vivendi morem se conformarunt & brevi ad 2000. & ultra excreverunt, qui in VII. cœtus fuerunt distributi, quia in Apocalypses c. 3. *septem Ecclesia* commemorentur. Hi S. S. Trinitatem indefesso studio nocturnis & diurnis hymnis collaudarunt. De laboribus manuum in communione vixerunt, induiti melote & caprinis pellibus, stricto cucullo & candida stola Apostolico more, aquo & *Apostolice* dicuntur, per orbem pedibus vagabantur & fidem inter Ethnicos prædicabant, novitos baptizabant, idola & templa Deorum confirgebant: novas hinc inde Ecclesiæ fundabant, ægros & moribundos visitabant in magna abstinentia vivebant, quam laudem illis tribuit Balæus Centur. Brit. c. 16.

§. II. Ab his Apostolicis viris media ætate multæ gentes ad fidem Christianam sunt traductæ, nec pauca per Europam Monasteria fundata. Primus ipsorum Abbas fuit Congellus e cuius disciplina S. Gallus cum primis prodiit, qui cum socio Columbanus ad Burgundos abiit, ibique cenobium Luxovicense condidit, sed cum Regem Theodoricum obstoprum perfrinxisset, Burgundia ejetus, ad Helvetios pervenit, eosque ab Idolorum cultu circa A. C. 614. ad Christum convertit. Tandem in eremum S. Gallus secessit, ibique in angusta cellula donec moreretur, delituit. Sed post obitum S. Galli hic locus ex fidelium eleemosynis adeo ditatus est, ut in augustinum non dico Monasterium sed in urbem celebrissimam excreverit, quæ in hunc usque diem S. Gallensis dicitur est que adhuc lanificio maxime nobilis. Sec. deum IIX. Pipinus Rex Apostolicis injunxit Monachis, ut regulam S. Benedicti juxta quam cæteri in Occidente Monachi vivebant, acceptarent. Vid. Bruschius de Monasteriis Germaniæ & Stumpfius in Chron. Helvetiorum.

GREGORIANI.

S. Gregorius M. cum in juventute militem egisset, postea adulta ætate in Praefectum urbis evasit donec religione ductus Cenobium intraret, & defunctis parentibus de suo patrimonio VI. Monasteria per Siciliam condidit; quin & paternam domum Romæ in Monasterium convertit. Monachis in his suis Claustris regulam S. Benedicti

nediti, quæ tunc temporis inter Monachos sola obtinebat, commendavit. Sed alio vestitu insignes esse voluit. Itaque jussit eos vestes letici coloris gestare, iisque rubram crucem circa petus inserere. Monachos Proprietarios extreme aversatus S. Gregorius dicere solitus est : *Monachus habens obolum, non valet obolum.* Cumque aliquando Monachum qui tres aureos occultaverat, reperiret; huic ne in extremis communionem quidem dare voluit, nec mortuum sepelire, sed in sterquilinium projectit. Triginta vero dies post poenitentia ductus, pro anima defuncti 30. missas egit: atque hinc in Papatu *Trigesima* sunt oriundæ. Vid. Antoninus. Lit. 12. c. 3.

FRATERNITATES.

§. I.

Fraternitates dicuntur sodalitates, in quibus qui vivunt, nec omnino religiosi nec omnino seculares existunt. Nam multi e secularibus cum monasticam disciplinam admirarentur, imitari Monachos sub habitu seculari studuerunt, ideoque mutuas fraternitates, vel fraternalis sodalitatis inierunt. Hi præpositos non Abbates, sed Magistros haberunt, qui non quotidie, sed statim die fratres ad preces, ad vigilias, jejunia & reliqua sacra convocarunt. In publ. processionibus per plateas sacco erant induiti & linteo ora testi, nudumque tergum in symbolum poenitentiae ferebant, teste Laurentio Surio Tom. 3. de vitiis Sanctorum. Hinc semetipsos, vocarunt *Ninivitas*, ideo, quod Ninivatum more poenitentes Deum placarent.

§. II. Quod originem Fraternitatum spectat, Polydorus Virgil. L. 7. c. 6., varias sententias recenset. Alii, putarunt ab Apostolico ævo hoc institutum descendere: cum, primis Christianis solenne fuerit, se invicem fratres vocare. Quod si ita sit, oportet omnes Christianos veteres sub his Fraternitatibus extitisse. Sed hoc nemo dixerit. Alii, ab Ægyptiorum Sacris derivarunt. Hi enim cum statim tempore vaccam sacrificarent; omnes qui Sacrificio inter erant, verberabantur. Alii, hos Fratres a Romanorum Lupercis deducunt, in quibus publice per urbem processiones agebantur, & in his obvii quique flagellabant-

bantur. Atque huic sententia ipse Polydorus Virgilius subscribit, existimans, Romanos Episcopos per hæc Collegia, ritus Ethnicos ad usus sacros transferre voluisse. Juxta Centuriatores Magdeb. haec Fraternitates circa A. C. 730. auctore S. Bonifacio Apostolo Germanorum ceperunt. Post illa Collegia hæc valde sunt aucta, adeo, ut tot fere Fraternitates sint inducta, quot Ordines Monachorum ceperunt. Nam singuli Ordines Religiosi Fraternitatem aliquam habuerunt annexam. Hinc dicitur *Fraternitas S. Coronæ*, cuius vestes sunt ceruleæ : *Fraternitas S. Dominici*, cuius velsitus niger; *S. Martini*, cuius candidus.

§. III. Inter omnes autem eminet *Fraternitas Rosarii*, quam „A.C. 1470. „*Alanus de Rupe* Monachus de Dominicanis instituit, hac occasione : Fama est adhunc Monachum B. Virginis, nem accessisse eumque in clausa cellula visitasse, de luis capillis annulum concinnasse, eoque Monachum sibi desponsasse, nec oscula tantum sed & mammas contrectandas & laetandas prabuisse, imo tam familiarem ei factam, ut sponsa solet suo sposo, ut refert *Balæus* Centur. Britan. 8. In signum animi grati *Alanus de Rupe* Fraternitatem Rosarii in cultum B. Virginis instituit. Quæ Societas a Sexto IV. confirmata, hoc cum primis agit, ut B. Virginem salutatione Angelica subinde honorent. Solent enim Fratres in hoc Collegio ter per hebdomada Rosarium recitare. Rosarium autem constat oratione Domin. quinque Ave Maria quinquages repetita ad numerum globolorum, quies ex filio dependent & vulgo dicuntur: Pater Noster. De quibus ele- ganter Mantuanus:

Hi fito infertis numerant sua murmura baccis.

CLVNIACENSES.

§. I.

Cum Monachi per IV. Secula Regulam Benedicti, eamque solam sequuti essent; tandem deteriores facti regulam illam abjecerunt. Nonnulli ergo bono zelo ducti, Monasticam reformare voluerunt & Monachos ad Regulam S. Benedicti reducere, quin & novas suas constitutiones eidem superaddere, atque hinc Benedictini in varios Ordines, quales hodie super-

funt,

sunt, sunt divisi teste Trithem. L. 1. de viris illustribus c. 8.
Primus autem fuit Odo Abbas Cluniaci, in agro Maſſicensi ſito in
Burgundia, vir ſua aetate doctus & sanctus, qui Regulam Bene-
dicti A. C. 912. auctiorem reddidit. Atque hinc oriundi ſunt
Cluniacenses. Qui cum olim ſanctimonia ceteros Benedictinos
ſuperarent, in magno prelio a reliquis Benedictinis diſtincti, imo
pro novo ordine habitu lateque ſunt diſpersi.

§. II. Quod vitam eorum attinet, hi nullum novitium ad-
miſerunt, niſi qui annum expectasset, veſtitu mediocri ac nimis
aspero utebantur, ne infirmi a ſuſcipiendo monachatu deterre-
rentur. Monachum lapſum recipiebant, quoies revertebatur,
ne oviculam errantem, ut ajebant, lupus devoraret. Operas
manuarias non traetabant, quo ipſo a primis & priscis Monachis
erant diſtincti, rationem hanc dabat; ne Monachus, cum promiſcio
ſexu conuerſari cogeretur. Erga peregrinos erant benigni & li-
berales, atque ita vivebant, ut qui pane veſci non poſſent ſaltem
laetere alerentur. Prout de iſpis refert Petrus Cluniacensis, ſcriptor
in hoc Ordine celeberrimus A. C. 1120. L. 5. c. 16.

„ §. III. De cætero, hi Monachi cum animadverterent, in S.
„ Euchariftia uſum ſanguinis Dominicis Laicis adimendum
„ non eſſe; ſolebant in ſuo Cenobio panem lacrum vino intin-
„ etum & adhuc madidum prabere teſte Cassandro L. 2. c. 35.
„ Putabant enim Cluniacenses, vinum non ſacrum pane con-
„ ſecrato ſanctificari & vehiculum Sanguinis Dominicis reddi.
Taſdem vero etiam hic ordo degeneravit, quod conqueritur
ipſe forum Abbas quem dixi, Petrus Cluniacensis, cuius haec
verba ſunt: Diſcurrunt Monachi noſtri tanquam milvi & vultures
de loco in locum, ſicubi ſumun culine viident, vel aſſam vel carnem
uſiam odorant. Legumina, ova, caſeos & piſces aversantur amant ollas
Aegyptias. Hodie mensas Monachorum legit aſſus ſeu elixus porcus,
pinguis juvenca, lepus, ſeleetus anfer, galina; Sed & hec apud nonnul-
los voluerunt, ad peregrina ferula transiſmus, nemora luſtramus, ve-
namur, phaſianos & turtures capimus, cervis & apri impinguamur, ne
ſcilicet ſervus Dei fame pereat. Haec Petrus Cluniacensis. L. 6.
Ep. 17.

CA-

CAMALDVLENTES.

§. I.

Camaldulenses cœperunt A. C. 1016. auctore Romwaldo ex illustri familia Ducum Ravennatensium oriundo, qui cum semel cruento prælio interfuisset ætatis 20. anno, ad agendam ea propter penitentiam in Monasterium Claffense recessit, quod non procul aberat ab urbe Ravennate. Sed cum Monachos in hoc Cœnobio dissolute vivere doleret, de novo Ordine condendo consilia cepit. Incidit autem apud Hetruscos in rusticum quandam Madolum, qui retulit, se aliquando in agro suo vidisse scalam ad cœlum usque porrectam, qua homines candido amictu ascenderint: hac apparitione motus Romwaldus, agrum a Madolo petiti & obiuit, ibique Monasterium exstruxit.

§. II. Non diu post in cacumine montis alii viri religiosi duo deviginti cellas oratorias in circulum disposuerunt. Juxta singulas cellulas erat hortus irriguus, fons & facellum, & qui in his cellis vivebant, Camaldulenses vocabantur, a campo Camaldulo, in quo nova hæc religio cœperat, teste Polyd. Virg. l. 7. de invent. rerum c. 2. Hi monachi perpetuum habent silentium, bis per hebdomada in pane & aqua jejunant, candido vestitu utuntur, in memoriam apparitionis, quam rusticus Madolus habuerat. Infra montem posita sunt lignea cruces, quas nulli fœminæ, nec iis qui carnes afferunt transire licet: Pulmenta cocturi pervalles & abrupta loca monachi herbas conquirunt, prot ut Camaldulenses descripsit Sabellicus Enn. 9. l. 2.

VALLUMBRIENSES.

§. I.

Vallumbrienses, vel Ordo vallis umbrosæ, cœperunt An. 1040. Autore Joh. Gualberto Florentino hac occasione. Contigit aliquando Gualbertum incidere in eum, qui fratrem ipsius occiderat, cui cum Gualbertus mortem minaretur, alter equo descendit & in genua prolapsus manibus ad pectus cancellatis veniam & vitæ gartiam, per & propter Crucifixum petiit. Gualbertus cognomen crucifixi audiens, sine mora adversario veniam dedit &

E

lite

lite transacta ad imaginem Christi in vicino Monasterio S. Miniatis concessit, coram qua imagine cum oraret, imago fertur capitis motu hoc ipsius factum comprobasse, uti referunt Polyd. virg. l. 7. c. 2. & Volateranus l. 21. Hoc miraculum fertur Gualbertum permovisse, ut in eodem monasterio subfisteret, quo auditio Pater ira percitus filium repetuit, qui cum exire e Claustro nollet, gravia minatus est monachis si filium monastico habitu induerent, tandem vero ipse Gualbertus coronam sibi totondit & cucullum sibi ipsi induit quo viso primum Pater dedit, sed postea propositum filii approbavit.

S. II. Gualbertus igitur monachus factus, in jejuniis & vi-
giliis tam aspere vixit, ut mortuo Abbatem Abbas designaretur.
Sed episcopus loci per simoniam alium Abbatem obtrusit. Tum
vero Gualbertus cenobio discensit ad senem eremitam, qui au-
tor illi fuit ut Abbatem & episcopum publice in foro Simoniacos declararet; quod cum faceret Gualbertus, in praesens vita
periculum incidit, sed clam Florentia elapsus ad monachos Ca-
maldulenses accessit, sed cum horum quoque vivendi rationem
non probaret, his relictis in umbrosam vallem se contulit, ibi-
que duos monachos repperit, quibus conjunctus ligneum tuguriolum
inhabitavit; nec diu post sanctimonia virili longe late-
que dispersa est; adeo, ut multi ad Gualbertum in umbrosa val-
le videndum & imitandum concurrerent. Quæ hominum fre-
quentia Gualberto ansam dedit, ut in umbrosa valle cenobium
conderet, atque hinc nati sunt monachi Vallumbrenses.

S. III. Regulam vivendi eandem fere cum regula S. Benedicti
monachis suis Gualbertus prescripsit, sed haec de suo addidit:

(1) Ne quis monachorum claustrō prodiret sine consensu
Abbatis.

(2) Ut nocturnum lumen in dormitorio æque ac oratorio
semper arderet.

(3) Ut fratres cilicia gestarent, vel pannum ex lana ovium
cenobii confectionem &

(4) denique ut monachis literatis adjuncti essent fratres
commissi, ita voca vit monachos laicos & idiotas. Hoc institutum
multis primariis viris adeo placuit, ut multa monasteria ad re-
for-

formandos monachos Gualbertum adhiberent, nec pauci sua prædia concederent, in quibus Gualbertus sui ordinis monastria fundaret. Confirmatus est hic ordo ab Alexandr. II. Et Gualbertus in ordinem sanctorum relatus, cuius vitam refert Laurentius Surius Tom. 4. de vitis sanctorum.

GRANDIMONTENSES.

Grandimontenses A. C. 1076. cœperunt auctore Stephano, qui a puero in cenobio enutritus, cum varias eremos transiisset: tandem in Aquitania apud Lemovicenses juxta montem Muretum densis arboribus constitutum subsistit, ibique casam exstruxit & rigide vixit solo pane & aqua, nudum corpus ferrea adstrinxit, lectum catenæ in terra defossum ad modum sepulchri habuit, toutes genua flexit ut & manus & genua callum obducerent. Inter discipulos habuit Petrum Lemovicensem, Virum e scriptis celebrem, qui cum a monachis expelleretur, petit a Deo locum sibi ostendit ubi exercere religionem possit, cumque aliquando in Missa caneret: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri*: vox ter intonuit; *in grandi monte*. Hic vero locus monti Mureto erat vicinus. Statim igitur in grandi monte oratorium condidit, & Stephani præceptoris sui, qui monachos reformaverat, corpus, illuc transtulit, & juxta regulam Stephani vivere docuit. Hi ergo a loco dicti sunt Grandimontenses de quibus videlicet Petrum de Natalibus L. 3. c. 20.

CARTUSIANI.

S. I.

Cartusiani ordo rigidissimus A. C. 1086. cœperunt eorumque origo communiter hæc fertur. Contigit ea atate, ut in Academia Parisiensi Professor quidam, doctus Vir, nec malæ famæ obiret, huic cum exequiæ fierent, cadaver de feretro erectum, clamavit: *Iusti Dei judicio accusatus sum!* præsentes conterriti, sepulturam in alterum diem distulerunt, quo, cum denuo convenerint, mortuus iterum exclamavit: *Iusti Dei judicio accusatus sum!* Sed quia sententia Judicis nondum constabat, exequiæ in diem tertium sunt dilatae, quo cum ingens multitudo ad Tem-

plum comeasset, mortuus tertia vice dixit: *In isto Dei iudicio
damnatus sum.* Quo auditio horror & tremor omnes invasit,
præsertim Bruno Colonensis, defuncti collega, ad plebem con-
versus, videte, fratres, inquit, quam miserabilis sit exitus viri quem
nos sanctum judicavimus, an & nos perire volumus? Salus nulla su-
perest, nisi mundum relinquamus. Quo dicto, abiit, secuti eum
sunt 4. literati & 2. plebei, cum quibus Gratianopolim, in Gal-
lia Celta sitam, concessit & ab episcopo Hugone Carthu-
siam eremum incolendam obtinuit. Vid. tractatus Launoyi
Theol. Parisiens. de vera causa secessus Brunonis in Eremum.

S. II. Hæc quidem origo Carthusianorum vulgo fertur, sed
sunt hodie viri docti, quibus omnis hæc narratio suspecta vide-
tur (i) ideo, quod ipse S. Bruno auctor ordinis Carthusianorum
in Ep. ad Radulphum viridem Prapositum Remensem hujus his-
toriæ prorsus non meminerit, sed aliam occasionem ordinis a se
conditi referat h. m. Recordabitur dilectio tua, quod cum ego & tu
& Fulcius manoculus in hortulo juxta domum Adæ, ubi ego tunc ho-
spitabar, de falsis delitiis, & perituri mundi divitiis & de gaudiis æ-
ternæ vita tractaremus, tandem divino amore servidi promissimus Spiritu-
tui S. fugitiva seculi relinquere & habitum monachicum recipere. Ubi
expresse occasio ordinis Carthusiani in colloquium refertur,
quod non Parisiis sed Remis in Gallia, Bruno & Radulphus in
hortulo quodam habuerint, nec ulla fit mentio doctoris redivi-
vi Parisiensis. Altera ratio, ob quam narratio illa fit suspecta,
est, quod ab A. C. 1086. quo cœperunt Carthusiani usque ad an-
num 1420. adeoque per tria integra secula & quod excurrit,
nec unicus quidem scriptor fide dignus, qui hujus historiæ me-
minerit produci possit. Primus qui hoc factum meminit fuit
Sec. XV. Joh. Gerfon Cancellarius Parisiensis in tractatu de sim-
plificatione cordis, nota 23. Sed ad incertum rumorem provocat.
Tertia denique ratio est, quod omnes auctores, qui eam recen-
sent, mirifice varient, quæ variatio incertitudinem rei subindica-
cat. Unde & ex Romano brevario hac historia fuit expuncta.
Legi de ea re meretur eruditus libellus Joh. de Launoy Theologi
Parisiensis, de vera causa secessus Brunonis ineremum, quem non ita
pridem, Serenissimo Rudolpho Augusto inscriptum ex Gallico in

La-

Latinum convertit, Albanus Pörtnerus Consiliarius Ratisbonensis.

§. III. Quicquid de eo sit, locus ad quem S. Bruno secessit, fuit *Cartusia*, inde *Cartusiani* dicuntur. Erat autem Cartusia vasta eremus hominibus fare inaccessa, feris sylvestribus plena, excelsos habens scopulos, qui in vertice coalescere videbantur, adeo, ut ipso aspectu horrorem incuterent. Fluvius de monte præceps cum magno murmure labebatur, & ut verbo expediam; locus erat carceri, quam hominum domicilio similior. Viëtum primis Cartusianis præbuit Hugo episcopus, qui tandem relicta cathedra eidem familiæ se addixit.

§. IV. Quod advivendi rationem attinet, ea satis rigida est. Habent enim (1) Cartusiani vestem intimam cilicum nigro pallio teëtum cum candida toga & cucullo. (2) Nunquam per omnem vitam carne vescuntur. (3) Pices non emunt sed donatos accipiunt. (4) Panis ipsorum est ex furfure & aqua pauxillo vini diluta. (5) Præter panem & aquam viëtus ipsorum caseis, ovis, leguminibus & oleribus coëtis constat, (6) solis diebus festis in communis mensa edunt, (7) singuli habent suas cellulas in quibus pia exercitia tractant, de cætero libros legunt. (8) Perpetuum fere silentium habent. (9) Bis quotidie in oratorio convenient, reliquas horas in cellulis quasi conclusi transfigunt, nee fere unquam Conobio exuent. (10) Nihil proprii habent, ne in communi quidem, nec tantum terra quantum pes hominis capit. (11) Mulieribus templa sua ingredi non licet, ne vi-deant, unde ad libidinem provocentur, & denique (12) deser-torem ordinis nunquam recipiunt. Preut hæc omnia refert Pe-trus Cluniacensis de miraculis sanctorum c. 28. Et Polyd. Virg. lib. 7. de Invent. rerum. c. 3. Et ut, quod res est dicam, videtur in hunc usque diem quoad vivendi rigorem cæteris præstare, cum instituta majorum suorum tenacius observent. Confirmavit hunc Ordinem Alexand. III. An. 1178. ut refert Platina in vitis Pontificum.

§. V. Inter Cartusianos ex Scholasticis floruit Rudolphus Sa-xo, qui Harmoniam Evangelicam, vel historiam vitæ Christi de-scripsit.

CISTERTIENSES.

CUM in nobili Cœnobio Molismo sub Episcopo Lingonensi Regulam S. Benedicti Monachi varie violarent; Robertus Abbas cum 20. Fratribus A. C. 1098. Cœnobio illo exiit & ad Cistertium se constituit, unde *Cistercienses* dicuntur. Erat locus in Burgundia sub Episcopo Cabilonensi densis vepribus consitus & horrendi aspectus, in quo hi Fratres auctore Roberto Benedicti Regulam superadditis nonnullis in usum revocarunt, quam suam Regulam *charitatis chartam* vocarunt. Hanc ab Abate Stephano Hardingo descriptam, Monachi Molismensis Cœnobii reperunt. Haec *charitatis charta* abrogantur, omnia quæ Regula S. Benedicti adversantur, v. g. pellicea vestis, varia ciborum fercula, decimæ, villæ. Sufficerunt autem in ordinem fratres Laicos, quibus terras suas verbi gratia, vineas, prata, sylvas, agros, aquæ ductus ad facienda molendina commiserunt. Monasteria Cisterciensia in urbibus, castellis, pagi, nulla habent, sed in illis locis degunt, quæ ab hominum confortio fere sint remota. Vestitus eorum griseus est, unde fratres grisei dicuntur. Confirmavit hunc ordinem sub finem Sec. XI. Urbanus II. ut refert Balæus Cent. 2. Script. Brit. c. 63. Varias difficultates hic ordo statim ab initio sustinuit, multique ex eo defecerunt, quos Alexander III. in ordinem redigere jussit lib. 3. decretalium tit. 31. c. 7. Primum in Germania cœnوبium Cisterciense A. C. 1120. conditum est sub Episcopo Coloniensi situm, diciturque Alfeld, secundum est Patria mea Walkenreda, conditum A. C. 1127. a Comitissa de Klettenberg Adelheide, qua de re Vid. Ecclomii chronicon Walkenredense.

BERNHARDINI.

S. I.

BErnhardini ex Cisterciensibus prodierunt, & cum his fere iidem sunt. Nomen habent a S. Bernardo, melito illo, pioque & fani sensus scriptore, oriundo ex nobili familia in Burgundia. Hic A. C. 1113. cum 30. fratribus ordinem Cisterciensium amplexus, non diu post Abbas Clarevallenfis, quod cœnوبium Robertus autor Cisterciensium fundaverat, fuit constitutus. Suum hunc ordinem S. Bern-

S. Bernhardus per Annos 36. illustravit, conditis hinc inde monasteriis, quæ Trithemius refert in Chronico Hirsaugensi.

§. II. Occasio ordinis hæc erat: Fuerat haec tenus ordo Cisterciensium fere neglectus, & grec adeo pusillus, ut dubitaretur, an ad posteros transfigurus esset. Accessit igitur S. Bernhardus, & neglectum haec tenus ordinem felicissime restauravit, hinc Cistercienses non ab autore suo Robertini, sed ab instauratore Bernhardini dicti sunt. Hinc adhuc literæ Cisterciensium extant hac formula: **W**ir / **A**bt / **P**rior, und Convent des Bernhardiner - Ordens/ quin & tabula pœctæ habentur, ubi Roberto autori ordinis S. Bernhardus a dextris pingitur. Habent autem Bernhardini vestitum a primis Cisterciensibus diversum nimurum tunicam nigrum, cum albo palio, cum Cistercienses sint grisei, nihilominus in magnis vestis Bernhardini eodem cum Cisterciensibus grisea veste utuntur, ad recognitionem ordinis, unde prodierunt, uti refert Sebastianus Franck in Chronico.

§. III. Sunt porro hi Bernhardini, præsertim cum studia tra-
etarent, longe lateque dispersi, & ex iis Episcopi, imo interdum Romani Pontifices electi. Eximii tamen ab Advocatis suorum cœnobiorum, quod nec agros nec prædia nec territoria olim posside-
rent, quin & postea cum secularia bona accepissent, hoc tamen pri-
vilegio gaudent, quod cum ceteri Monachi tenebantur Advocatum
alere, Principem, in cuius territorio situm est cœnobium, Bern-
hardinis liberum est, Advocatum quemcumque voluerint, delige-
re, ut constat ex privilegio, quod Conradus IV. Cœnobio Ebora-
ensi dedit. Sed & a subiectione Episcoporum sunt exempti, adeo
ut si Episcopus Abbatem consecrare nolit Bernhardini & Cisterciens-
es ipsi Abbatem suum consecrare possint, ut habetur lib. I.
decret. tit. 10. De cetero Bernhardini pleraque monasteria habent
in vallis & locis amoenis, quod talibus S. Bernhardus sit dele-
ctatus.

HVMILIATI.

Hi cœperunt sub Friderico Barbarossa, circa A.C. 1164. Cum
Barbarossa perpetuis fere bellis implicitus subinde in Galliam
Cisalpinam irrueret, multos viros & foeminas in Gallia captas Ger-
manias intulit, qui quia exules erant, misere de manuum suarum
labo-

laboribus præsertim ex lanificio vivebant, cæteri sacris exercitiis de-
voti, tenui viœ & candido amictu contenti. Tandem vero ex-
iii illos tardere cœpit, ideoque profusis lachrymis humili gestu in
conspicuum Imperatoris prodierunt, & humi cubantes, pristinam
libertatem a Cæsare repetierunt. Horum misericordia ductus Imper-
ator, licentiam illis in patriam redeundi concessit. Patriæ suæ red-
ditæ cœnobia condiderunt, & jejuniis, vigiliis, precibus multo in-
stantius operam dederunt, humili amictu, tunica scapulari, &
cappa, viœtum ex panni textura sibi pararunt, pro norma habue-
runt partem regulæ Benedicti, non totam. Hinc Sabellicus En-
nead. 9. illos semimonachos vocat. Polyd. Virgil. lib. 7. c. 2. ita de
Humiliatis scribit: Horum exordium erat triste, sed latus successus.
Nam multi bello capti, aut quorum fides suspecta erat iussu Fride-
rici, cui barba rubra cognomen dedit, qui tum armis Italianæ vexa-
bat ex Gallia in Germaniam cum liberis & uxoribus sunt traducti.
Putant alii ab Henrico id factum, hi longiorem moram pertæsi al-
bis vestibus induiti viri fœminaque humiliter Friderico ad pedes
prostrati jacuerunt, veniam implorantes, quorum lacrymis & ve-
stitu commotus imperator, omnibus potestate fecit abeundi in
patriam, qui reversi suscepto voto in eo ritu perseverarunt, lanificio
& precibus dediti. Ita ergo humiliati a modico principio orti cre-
verunt, ut hunc ordinem Innocentius III. qui primus transubstan-
tiationem inter articulos fidei retulit, deinde alii Romani pontifices,
comprobaverint. Humiliati inde dicuntur, quod ad Imperatoris
pedes humili se prostravissent, teste Antonio tit. 15. c. 23. Verum
A. C. 1571. huic ordini fuit fatalis. Hoc enim anno Pius V. totum
hunc ordinem per Italianam fustulit, ob improbos mores, præsertim
cum fama esset sparsa, Humiliatos protectori suo Borromeo Cardi-
nali necem intentasse.

ANTONIANI.

CUm A. C. 1089. ignis sacer passim grassaretur, plurimosque vel
consumeret, vel saltem mutilaret, multi igne illo correpti ad
corpus S. Antonii in provincia Viennensi concurrerunt. Qui cum
ibidem orassent, pristinam valetudinem receperisse dicuntur. Ve-
rum si qui in S. Antonium injurii essent, hos statim igne sacro di-
cunt

cunt correptos. Hinc adhuc sub Papatu proverbium est : In Antonium nemo impune peccat. Hæ res A.C. 1096. nobilem quendam Francum Gastonem permovit, ut cum filio & octo sociis ordinem ministrantium infirmis, quos sacer ignis corripuisse, institeret, de quo vid. Baron. tom. 2. Annal. Eccles. Atque hinc est, quod in hunc usque diem S. Antonius cum igne pingatur, quod ab eo liberaverit: imo fabulantur Pontificii, domum in qua talis imago extat, ab incendio tutam esse. De cætero idem S. Antonius cum porco pingitur quod porcorum patronus esse credatur, atque hinc Antoniani in more positum habuerunt, ut porcellum cum nota appensa, per urbis plateas mitterent, qui a civibus pecora habentibus liberaliter nutriebatur, quod crederent, hoc modo S. Antonium suis pecoribus fore propitium. Præterea liber in manibus Antonii depingitur, qui denotat Scripturam Sacram, quam S. Antonius licet legere non potuerit, memoria tenuisse fertur. Denique appingunt S. Antonio T. signum crucis, quo dæmones fortiter repulit, ut refert Johannes Molanus de picturis veterum, c. 59. Hinc in hunc usque diem nigris vestibus quas Antoniani gestant, ante pectus T. cerulei coloris velut insigne impressum. De his vid. Polyd. l. 7. p. 596.

PRÆMONSTRATENSES.

S. I.

Hic ordo autorem habet Noribertum Lotharingum, illustri loco natum, qui circa A.C. 1119. cum 13. sociis eremum ingressus, postea nudipes in aspera hyeme obambulavit, & indultu Calixti Papæ prædicavit, donec Magdeburgi Episcopus fieret, ubi tanta gratia apud Imperatorem Lotharium & Innocentium II. valuit, ut Ecclesiæ Magdeburgensi titulum primatis Germaniaæ acquireret, quod refert Brus: hius de monasteriis Germaniaæ. Sed & ordinem Præmonstratensium idem Noribertus instituit hac occasione. Re-tulit, S. Augustinum sibi in somnis apparuisse, & sub dextro latere auream regulam habuisse, eamque sibi his verbis tradidisse: En-tibi regulam, sub qua, si fratres tui militaverint, securi stabunt in extremo judicio. Nec regulam tantum celo delatam, sed & lo-cum, in quo monachi eam exercent, sibi divinitus præmonstra-tum dixit, & a præmonstrato illo loco, Præmonstratensium nomen F est,

est, teste Balæo cent. 3. script. Brit. c. 34. Ordinem hunc Calixtus II. confirmavit, & Innocentius Papa insigniter auxit.

§. II. Vestitus horum est albæ tunica, linteæ toga, & candide pallium, quo differunt ab aliis Canonicis, quorum pallium est nigrum. Polyd. c. 3 lib. 7. p. 577. Abbates hujus ordinis sua sponte ornamentis Pontificalibus, qualia sunt infula vel mitra, baculus & annulus, renunciarunt. Sed & hoc ordini peculiare est, quod monasteria monachorum & monialium hujus ordinis sint contigua, sc. ad domandum carnem, teste Bruschio. Verum hæc monasteriorum vicinia lapsu temporum libidinis fuit seminarium. Hinc A. C. 1273. Conradus præpositus Magdalensis claustrum monialium e vicinia sui monasterii sustulit, ideo quod mulierum nequitia nequitiam omnem superet, quodque mulieres sint animalia venenata. Circa A. C. 1250. Robertus Episcopus in Anglia Præmonstratenses reformatre voluit, sed non potuit, quod hi nuper a Pontifice essent privilegiati, cumque ea de re conquerentur, Pontifex lepide respondit: An oculus tuus nequam est, quod ego tam bonus sim? ut refert Balæus cent. 4. c. 2. in appendice. Tandem vero circa A. C. 1497. Præmonstratenses religione abjecta in Canonicos seculares, qui olim fuerant regulares exempti sunt deformati, ut refert Cranzius in metr. l. 12. c. 18. Hodie cæteri ordines hos monachos juxta Cistercienses bubulos & ovium tonsores vocant, quod studia literarum omnia seponant, & sint idiotæ.

GILBERTINI.

Hunc ordinem circa medium Sec. VII. Gilbertus ex Lincolnensi provincia Angliæ oriundus instituit. Hic, quia corpore erat deformis, laudabilis proposito defectum corporis, pulchritudine animi, hoc est, virtute & eruditione compensandum duxit. Itaque studiis insignem operam dedit, postea in patriam reversus, cum auditores plurimos haberet, cœnobio septendecim fundavit, iisque novam vivendi regulam ex Augustini & Benedictini Regula mixtam tradidit. Præcipuum inter cœnobia Gilberti erat in pago Senpringam, ubi fuerat natus. In hoc uno scribit Balæus, 70. monachos, & ultra mille moniales juxtim habitasse, nam & in hoc ordine monachi & moniales cohabitarunt, sed muro ab invicem

cem divisi. De cætero communia etiam templa habuerunt, quod Poeta quidam Nigellus in suo stultorum speculo ita describit:

*Corpora non voles murus disjungit, in unum
Psallunt, directo psalmatis absque metro
Sunt quædam ex ipsis steriles, quædam parientes
Virgineoque tamen nomine cuncta tegunt.*

CRVCIFERI.

§. I.

Cum expeditio in terram sanctam susciperetur, præsertim Sec. XII. solebant milites contra Turcas pugnaturi cruce signari in memoriam Crucifixi, cuius gloriæ bello defenserent. Sed & contra Paganos maxime in Borussia que Sec. XIII. ad fidem fuit conversa, milites cruce signati fuerunt missi: ut proinde recepta fuerit consuetudo, milites, qui contra infideles pugnarent, cruce signare, nisi quod Innocentius III. sub finem Sec. XIII. etiam illos cruce signaverit, qui contra bonos Waldenses vel pauperes de Luggduno pugnarent. Hi Waldenses nullo crimine erant insignes, nisi hoc uno, quod Romanam Ecclesiam erroris accusarent, cæterum pie vivebant, ideoque vocabantur Cathari, puri, immaculati, hinc Germani, ein Reher/ quasi dicas unum ex Catharistis. Sed hi vitio illorum temporum infames sunt habiti heretici, & contra eosdem milites cruce sunt signati, ut constaret, pari illos locum in infidelibus haberet.

§. II. Circa eadem hac tempora initio Sec. XIII. ordo cruciferorum cœpit: Falsum enim est, quod scribit Sabellicus Ennead. 9. hunc ordinem a S. Cleto Papa Petri Apostoli Discipulo cœpisse, quem Angelus cruce insignis monuerit, ut Romæ in gratiam peregrinantium xenodochium conderet. Sed notum est, primis Ecclesiæ seculis Romæ Christianis non licuisse xenodochia extruere. Falsum quoque est, quod de hoc ordine scribit Polydorus, lib. 7. c. 3. Cruciferos cœpisse sub finem Sec. III. sub Cyriaco Episcopo Hierosolymitano, qui Helenam Constantini Magni matrem ad crucem dominicam induxerit. Sed de cruciferis ab Helena institutis, veteres Historici omnes tacent. Primus autem fuit Innocentius IV. A. C. 1243, qui hunc ordinem confirmavit, constituitque, ut reli-

giosi in hoc ordine crucem manu semper tenerent, a qua cruce cruciferi dicti: Vestitus illorum est cœruleus, quem sub Pio II. Mantua in conventu suscepserunt. Prater hos alii adhuc cruciferi dicuntur, qui juxta regulam Augustini vivunt, nec cœruleo, sed nigro vestitu utuntur, eorumque insigne est, Crux ex albo & rubro colore confecta, quam non manu gestant, ut priores illi, sed pectori habent impressam, de quibus dicto loco videatur Sabellius & Polydorus.

AVGVSTINENSES.

§. I.

HOrum origo dubia est: Alii ab ipso Augustino hunc ordinem cœpisse putant, sed ea de re non tantum in Scriptis S. Augustini, sed in omni antiquitate altum silentium est, quod ut conflet, juvat vitam S. Augustini, quo quis vix Sanctorum Patrum præstantior, ē πατροποιη̄ referre. Fuit S. Augustinus usque ad ætatis annum 31, Manichæus, & concubinam aluit, e qua filium suscepit A DEO datum, quo nato concubina ab Augustino fecerit, & votum perpetuæ continentiaz egit. Interim S. Monica Mater Augustini sponsam filio destinavit, quæ quod nondum nubilis esset, nuptiaz per biennium sunt dilatae. Verum Augustinus tædio vita corruptus, cum 10, amicis ab hominum confortio remotus ita vixit, ut hi 10, bona sua omnia in commune conferrent, & unam quasi familiam constituerent, nec quisquam in illo Collegio diceret: Hoc meum est, sed hoc nostrum est. Verum quod ex his uxorati nonnulliam effsent, nec uxores absentiam maritorum aquo animo ferrent: alii e quibus ipse S. Augustinus, uxores brevi erant ducturi, hoc solitariæ vitæ institutum sub manibus fuit dissolutum. Interea Augustinus cui biennium abstinere erat molestum, aliam aſſumſit, non tamen conjugem, a qua in regnum uxorium duceretur, sed concubinam, prout ipse fatetur lib. 6. Confess. c. 14.

§. II. Noluit autem Deus, perire filium tot lachrymarum, quas Monica Mater fundebat. Cum enim Mediolani Professor Oratoriaz effset, contigit, ut ex concione S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis, hæresin Manichæorum agnosceret, quod cum Simpliciano exponebat, hic eundem S. literas legere iussit, ad exemplum Viatorini Khetoris,

toris, qui ex lectione Sacrae Scripturae fuerat conversus, ut ipse ait lib. 8 Confess. c. 1. quibus auditis in hortum secessit, & vitam ante aetatem acerbe deflevit, & vocem audivit; Tolle, lege! Nemine conspecto codicem Sacrae Scripturae arripuit, eoque aperto statim hunc textum invenit: Non in commensationibus, non in cubiculis, & libidinibus! Quibus lectis graviter-percussus, Manichaeifnum abjuravit, & se totum fidei Catholicæ addixit. Pium hoc propositum S. Ambrofio cum magno matris applausu indicavit lib. 8. Confess. c. 6. Non diu post professionem oratoria dimisit, ac Deo & bonæ menti vacandum, cum quibusdam familiaribus in viliam civis Mediolanensis Verecundi concessit, ibique ad subeundum baptismum se sancte preparavit. Ex villa Mediolanum reversus, Anno atatis sua 33. cum naturali filio suo puer 15. annorum, sed excellentis ingenii, baptismum suscepit, ut ipse refert lib. 9. Confess. c. 6. Baptizatus in Africam ad Monicam matrem abiit, ibique ad matris usque mortem permanxit. Hæc vero sub extrema non curabat, quo splendide sepeliretur, sed hoc unum petiit, ut in sui memoriam altare fieret, unde noverat sacram viettam dispensari, lib. 9. Confess. c. ult. Morte matris in mœorem conjectus, iterum in rus secessit, ibique per triennium Scripturæ Sacrae additis precibus & jejuniis operam dedit, donec Hipponæ, quamvis invitus, & inter multas quas fudit lachrymas Prosybyter ordinaretur, nec diu post Valerio Episcopo Coadjutor, & post obitum Valerii Episcopus Hippomensis, in qua functione extremum diem clausit. Episcopus factus juxta templum Hippomense Monasterium condidit, in quo ex communia massa cum studiosis quibusdam Theologis vixit. Atque ex hoc Collegio non tantum tempore Augustini insignes Clerici, sed & postea Ecclesiæ Collegiata, quas hodie Canonici occupant, prodierunt. Verum in hac βιογραφia S. Augustini de ordine Monachorum instituto altum silentium.

S. III. Alii existimant, Augustinianos Monachos inde cœpisse, quod vivo Augustino multi sanctimoniam ejus admirari fuerint, & spredo seculo in eremum abierint, dicti Augustiniani, quod vitam Augustini suæ vitæ regulam haberent, ut refert Po-

Iydorus Virg. lib. 7. c. 5. Alii tradunt Augustinum sequori ævo apparuisse Innocentio IV. eumque per revelationem admonuisse, ut hunc ordinem constitueret. Sed & hac apparitio fabula videtur.

§. IV. Vera origo Augustinianorum hæc est, quam nos docuit Raphael Volateranus, in commentariis urbis Romæ. Fuit A. C. 1150. Dux Aquitaniae Wilhelmus, discipulus S Bernhardi, vir piissimus, qui devotionis ergo varia itineria ad loca sancta suscepit, tandem in patriam reversus, cenobia condidit, in quæ eremitas hinc inde dispersos coegerit, multosque suo exemplo permovit, ut cœnobiticum hoc vita genus amplecterentur. Verum hi Monachi Wilhelmitæ dicti sunt, non Augustiniani. Postea Wilhelmus urbes incolere ceperit, & Parisis Eleemosinas collegit, e quibus Cenobium struxit, sed defuncto Wilhelmo hic ordo intercidit, donec eundem restauraret Johannes Bonus, civis opulentus Mantua, qui pecuniam omnem inter pauperes distribuit, & in eremo sub spelunca habitavit, tam sancte, ut multis sui admiratione in eandem eremum pertraxerit, atque hi ab autore suo fratres Johannis Boni, & contracte Janbonita seu Zambonita sunt dicti: item fratres de penitentia Christi, & Saccitæ, quod, facio induerentur. Verum & hi, & priores illi postea nomen Augustinianorum assumserunt,

§. IV. Primus fuit Innocentius IV. qui his eremitis, Wilhelmitis & Jambonitis Priorem generalem præposuit & constituit, ut juxta regulam Augustini militarent, h. e. ut primo in communi viverent, Secundo relictis eremis in urbibus habarent, ut refert Balæus, Cent. script. Brit. c. 26. Fingunt hi Monachi, a S. Augustino tres sibi regulas datas: quarum prima in genere de vita monastica. Secunda in Specie de modo orandi, & tempore precum. Tertia de vieti in communi ageret. Sed recte censet Erasmus, nihil frontis & mentis habere, qui has normas Augustino tribuant. Tertiam quidem Regulam Augustini esse non negat, verum non viris, sed feminis a se præscriptam. Vestitus Augustinianorum est nigra cuculla, candida tunicula, & scorteza Zona, bubulæ cornu fibulata, quo quidem vestitu S. Augustinum statim a baptismo usum, innuit autor sermonis, qui sub

sub nomine Ambrosii de Augustini Baptismo agit, sed sine dubio suppositius est liber. Certe Posidonius in vita Augustini refert, vestes Augustini mediocres fuisse, nec nimis splendidas, sed nec nimis abjectas. Plura de Augustinianis qui voluerit, legat argutum scriptum, quod Nicolaus Gallus A. C. 1250. sub titulo *igneæ sagittæ* contra hos monachos emisit.

DOMINICANI.

S. I.

Dominicani ex Humiliatis sub initium Sec. XIII. prodierunt. Nam cum Humiliati, licet literas nescirent, prædicarent, confessiones audirent, sacramenta conferrent, Innocentius III. in locum hujus ordinis alios qui literati essent prædicantes religiosos substituendos duxit. Commodum fese obtulit Dominicus Calagoritanus ex Hispania, & ordinem quem ipse meditabatur a Pontifice confirmari petiit, cumque Innocentius Papa difficilem se præberet, in somnis vidit Dominicum, Ecclesiaz Lateranensi ruinam minitanti humeros supponere, eamque suffulcire, quo somno inductus Dominicum denuo redire, & cum consensu fratribus suorum regulam conscribere jussit. Fecit hoc Dominicus, eaque regula promisit, se suosque socios velle prædicandi munus subire. Interim ad plures abiit Innocentius, eique succedit Honorius, qui Regulam Dominicani confirmavit.

S. II. Dominicani ergo (alii Dæmoniacos vocant) ab autore suo Dominico vocantur. Fuit is insignis hyperita, in itinere aqua & pane contentus, ferrea constrictus catena, qua singulis noctibus ter se ipsum castigasse fertur. Noctu in tabula, vel nuda humo cubabat, lapide pro cervicali usus: Oculos semper madidos, quasi peccata hominum defleret, in templis habuit. Fuit de cetero acerrimus prædicator contra Bonos Waldenses, quorum unum fere crimen erat, quod errores Romanæ ecclesiaz reprehenderent, contra hos ad arma Præcipes pro concione incitavit, adeo, ut multa hominum milia miserrime sint occisi, quod refert Barlaus Cent. 3. c. 67. quo prædicandi munere meruit, ut in Canonem Sanctorum referretur, & autore Gregorio IX. Circa A. C. 1233. ejus ordini cruentum munus inquirendi in
hæ-

hæreticos deferretur. Hinc a gemino munere Dominicani & prædicatores dicuntur & inquisidores (dicam an inventores) hæreticæ pravitatis, quam inquisitionem apud Hispanos crudeliter exercuerunt. Miracula Dominici Antonius lib. 23. c. 1. quibus-
vis Christi miraculis præfert.

S. III. Dividuntur Dominicani in tres classes, quia ipse Dominicus suæ sectaæ arcam tricameratam fecit. In prima posuit Monachos celestibus contemplandis & prædicationibus devo-
tos. In secunda Moniales ad similes celestium contemplatio-
nes moniales confirmavit. In tertia utriusque sexus homines
ad vitam activam vel ut fratres Laicos traduxit, eosque vocavit
fratres de pœnitentia, vel de militia Christi. Ex praescripto Do-
minici, monachi in hoc ordine nihil, ne in communi quidem
possidere, quotannis capitulum generale agere, à carne simpli-
citer abstinere, statim tempore & loco filere, domosque pauperes
& humiles habere oportet, qua tamen pleraque hodie violent.
Vestitus ipsorum est candida tunica cum nigro palliolo super
injecto, qualem amictum Dominicanu cuidam a B. Virgine
ostensus jaætant, ideoque fratres Mariæ se jñvicerunt vocarunt.

S. IV. Fuerunt in hoc ordine magna scholaisticorum cater-
va, imprimis Angelicus ille, quem dixere Thomas Aquinas, adeo-
que Thomista fere omnes, eoque olim loco habebantur, quo
hodie sunt iæsuitæ, qui primus jussu Gregorii IX. decretales con-
didit, hoc est, decreta Pontificum in unum volumen redegit,
pro qua opera A. C. 1601. me præsente, ut scribit Bellarminus de
scriptoribus Ecclesiasticis inter Sanctos a Clemente VIII. fuit re-
latus. Ex eodem ordine prodidit Thomas de Vio, Cardinalis Ca-
jetanus, ex scriptis & rebus contra B. Lutherum gestis, insignis.
Notabile porro est, quod Cranzius l. g. Sexoniae c. 7. refert, fuisse
Dominicanum, qui hostiam venenatam Henrico VII. tradere vo-
luit, quo comperto, Dominicani omnes a Pontifice sunt hac igno-
minia notati, ut Sacerdotes ipsorum finistra manu Eucharistiam
porrigant. Variis postea privilegiis auti in tantum numerum
excreverunt, ut ipsi Romano Pontifici fuerint formidandi.

CAR-

CARMELITÆ.

§. I.

Carmelus mons est in Syria, nobilis in V. T. inde, quod Elias & Elisa fuerint interdum in hoc monte commemorati. Post natum Christum sex sequioribus seculis hunc montem eremita incoluerunt, juxta fontem, qui fuit Eliæ dictus. Idem hoc loco templum B. Virginis sacrum condiderunt, unde dicti sunt Fratres Carmelitanæ Virginis A. C. 1121. Almericus Patriarcha Antiochiae hos Carmelitas cenobio conclusit, iisque praefectum e latinis, (quod Graeca nescirent,) dedit Bartholdum Aquitanicum. Nil hilominus hi monachi, quod nondum sub certis regulis vivebant, fuerunt contemti, donec A. C. 1160. Alexander III. certam vivendi regulam ipsis mitteret. Sed circa A. C. 1216. Carmelitæ ex Oriente in Europam sunt traducti, qua de re Vid. Polyd. lib. 7. c. 16. & Sabellius Ennead. 9.

§. II. Cum adhuc in Syria essent Carmelitæ, vestibus usi sunt diversis coloribus, & ex rutilo virgulatis, quod crederent Eliam ita vestitum. Sed has virgulatas vestes Honorius Carmelitis ademit, earumque loco cappas albas & tunicas gryleas substituit, quem amictum cum suscepissent, graviter excanduit Sultanus Ægypti Rex, eosque omnes Ægypto & Syria ejecit, quod ita refert Sebastianus Frankius in Chron. In Europam venientes Gregorius IX. A. C. 1227. privilegiis auxit, iisque pecora quædam, lac & ova habere permisit, sed cætera ostiatim querere jufsit, teste iterum Balæo de Script. Britan. A. C. 1258. Alexander IV. Carmelitis carceres concessit, quibus in desertores sui ordinis animadverterent. Primus autem fuit Johannes XIII. qui Carmelitas ab omni seculari dominio exemptos, sibi suæque Cathedræ volvut immediate subjectos, multos ex hoc ordine Episcopos constituit, inductus, ut ajunt, apparitione B. Virginis, teste iterum Balæo de Script. Brit. in vita Joh. XXIII.

§. III. Solenne olim erat Carmelitis, vi regulæ suæ, perpetuum carnis privium, sed de eo dispensavit A. C. 1431. Eugenius IV. ideo quod Carmelitæ unum sui ordinis Thomam Redolensem vivi comburio fustulissent, cum hic errores quosdam Roma-

næ Ecclesiæ annotasset. Ab inquirendis hæreticis, quod munus Dominicanis incumbit, & a monialium contubernio primi Carmelitæ abstinuerunt. Sed Thomas Waldensis Carmelitarum provincialis, & acerrimus Waldensium hostis A. C. 1421. Moniales Carmelitis concessit, unde nati sunt versiculi:

Puto vero quod prodeisset,
Si in mundo nullus esset
Monachus vel monialis.

Item: Non male sunt Monachis grata indita nomina Patrum:
Cum numerent spurious hic & ubique suos.

Tandem de Carmelitis notetur, quod ultima ætate, numero & o-
pibus aucti in luxum fuerint dissoluti, hodieque in duas fami-
lias sunt divisi: Observantium, & non observantium, de qua di-
visione idem censeo, quod supra de Canonicis Regularibus &
Secularibus dixi.

FRANCISCANI.

S. I.

Franciscani A. C. 1209. ceperunt, autore Francisco, qui in ba-
ptismo Johannes fuerat dictus, sed postea nomen Christo da-
tum mutavit, cuius mutationis ratiunculas septem corradit Ja-
cobus de Voragine in aurea quam vocat legenda. Adolescens
Franciscus animum ad commercia appulit, sed nescio qua vi-
sione territus, a mercatura in militiam, a militia iterum in pa-
triam Ascisium se contulit, ubi cum ante imaginem Crucifixi ora-
ret, fertur audisse vocem, quæ eum templo reparare jussit. Fran-
ciscus domum abiens, patri suo pecuniam omnem furto abstu-
lit, iratus pater filium in jus vocavit, filius ablata restituere coa-
ctus paternæ hæreditati renunciavit, adeo ut vel proprias vestes
exutas ad pedes parentis deponeret, dicens: Hactenus te patrem
dixi in terris, a modo dicam: Pater noster qui es in celis. Post
illa eleemosynas collegit, e quibus templum Mariæ ad Angelos
dictum restauravit, inque eodem ordinem suum inchoavit,
prout resert ex ipsis Franciscanis Doctor, qui dicitur Seraphicus
Bonaventura, in majori sua legenda c. 2.

S. II.

§. II. Præcipua quæ Franciscanis Monachis suis injunxit,
hæc duo sunt : Alterum, sine proprio in extrema paupertate,
alterum, in perpetua castitate vivere. Regulam confirmandam
Innocentio III. obtulit, sed hic primum iudicium Franciscum ha-
buit, eumque ad porcos ire iussit, abiit Franciscus, & in luto cum
porcis se circum volvit, postea ad Pontificem reversus denuo
confirmationem ordinis petiit. Pontifex obedientia ejus visa,
regulam ejus approbat, quod ita resert Matthæus Parisiensis.
Ab autore quidem Franciscani dicuntur, sed ipse Franciscus in
signum extremæ humilitatis se suosque fratres minores vel mi-
nimos vocavit. Unde adhuc Minoritæ dicuntur, Germanice
Minibrüder/ eorumque prælatos, qui hodie Guardiani dicuntur
non Magistros, sed Ministrorum vocari voluit. Verum eo non ob-
stante, Franciscani multos Theologiz Magistros crearunt. Di-
cuntur iidem Capucini, quod eorum vestitus sit cappa acumina-
ta, Germ. Barfüßer/ quod nudis pedibus incedant, vel rejectis
calceis soleas tantum pedi adstrictas habeant: Appellantur quo-
que Chordigeri, vel funigeri, quia chorda vel fune corpus cin-
gunt, de quo cingulo ita jocatur Buchananus:

Cur tunicam fluxam nodoſo cannabe ſtringis?

Cum melius fauces ſtringeret illa tuas.

De vestitu ipsorum graves olim fuerunt controversiæ, quas Ni-
colaus III. Clemens V. Johannes XXII. tres Pontifices maximi,
definire non sunt ausi, quamvis de lana caprina quæſio effet,
vestitus rationem in arbitrio Guardianorum reliquerunt. Ho-
die tamen, quo autore, non conſtat, æqualiter vediuntur, tuni-
ca ad talos demissa, & grandibus cucullis grisei coloris, de quo
neſcio quis Poëta ita laſit :

Chordula nodoſa, pes nudus, cappa dolofa

Hæc tria nudipedes dicunt ad tartara fratres.

In papatu vero huic vestitui admiranda vis & sanctimonia tri-
buitur, adeo, ut multi Principes in tali vestitu mori ac sepeliri
voluerint contra exemplum Francisci, qui positis omnibus vesti-
bus sub extrema nudus mori voluit, ut & quoad hoc Christo
crucifixio conformis fieret. De cætero, multa miracula Fran-
cisci conſingunt, nec minima fabula est Franciscum in ecclasi

eum ipso Christo commixtum & Salvatorem eidem cicatrices suorum vulnerum vel flagmata quibus in cruce pependit, impressisse. Hinc autorem suum Jesulum typicum vocant, ad quem has idololatricas preces fundunt:

Francise Iesu typice,
Dux normaque minorum.
Sedes nobis perpetuo
Da regna supernorum.

Distribuit suum hunc ordinem ipse Franciscus in tres classes, quarum Prima, fratum minorum, secta rigidissima, quæ ostiati mendicando vivit, nec quicquam proprii seu in communii, seu in particulari possidet, & huic classi ipse Franciscus annumeratur. Secunda est pauperum virginum, quæ alio nomine Clarissæ dicuntur, a S. Clara, de qua hoc distichon formarunt:

Clauſa manens Clara toto clareſcere mundo
Incipit, & laudem titulis præclaræ refulget.

His Nonnis in communii aliquid proprii habere Franciscus indulsit. Dividuntur eadem porro in Reformatas, observantes, & Urbanissas. Tertia Franciscanorum classis est penitentium, qui matrimonio quidem juncti erant, sed quia peccaverant, aliquamdiu Franciscanis se conformabant, & satisfactioes Canonicas a Sacerdoti injunctas implebant. Dicti sunt iidem Continentes, quod quamvis conjuges, ad tempus tamen continerent. Brevis tempore hic ordo 2000. monasteria occupavit de quibus videatur Sabell. Ennead. 9. Balæus cent. 3. Brit. c. 57.

§. III. Circa annum Christi 1250. Franciscani cum a pristino fervore remitterent, iterum hic ordo fuit bipartitus, alii vocabantur Gaudentes, erantque Monachorum pestimi, qui regulam Francisci glossabant, & multa religiosis indigna committebant, adeo ut ceteris omnibus Monachis fuerint tandem invisi. His oppositi sunt Observantes, qui A. C. 1260. ab Innocentio VI. pertierunt, ut liceret sibi regulam Francisci sine Glossa Gaudentium observare, a quo petitio Observantes vocantur, cum reliqui se invicem Conventuales dicerent. Noluit quidem Innocentius VI. huic Observantium petitio aliquid deferre, verum ipsi A. C. 1414. ad Concilium Constantiense perrexerunt, a quo hic observantium ordo

ordo fuit confirmatus. Ritus observantium hi sunt. Pecuniam nullam attrectant, sed aliis huic rei deputatis jubent dari, a carnis omnibus vita abstinent, crudis herbis, oleribus & leguminibus vescuntur, lighenis soleis incedunt, & Conventuales qui communibus cibis utuntur, solumque vestitum cum ipsis communem habent, condement.

VARII MONACHORVM ORDINES.

§. I.

Fuit olim inter Monachos ordo Bethlehemitarum, qui A. C. 1257. Cantabrigia in Anglia cœperunt, hi eodem medi, quo prædiantes erant vestiti, nisi quod stellam rubram radiis quinque crinitam in pectora gererent, in cuius stellæ medio erat circulus aurei coloris, ad denotandam stellam Magorum, qua, Domino in Bethlehem nato, in aëre apparuerat, & primicias illas gentium ad præsepe diduxerat. Cætera de Bethlemitis apud Balæum Cent. 4. Brit. cap. 25. videantur.

§. II. Fuerunt porro Flagellantes, quorum Regula alias sanguinaria penitentia dicitur. Hi A. C. 1260. Perusix in Thufcia cœperunt, cum magna ibi annonæ caritas esset: tum enim multi e Laicis, ut Deum placarent, veluti Sacerdotes ad tempa processerunt, psalmos penitentiales decantarunt, & nodosa scutica humeros & pectora fauicarunt, donec sanguis ubertim profluueret, de quibus hic Rythmus:

Ght schlägt euch sehr zu Christus Chr/

Und laßt die Sünde nimmermehr.

Recruduit hæc secta A. C. 1349. dicitque sunt Acephali, quod autor ipsorum non constet, vid. Aventinus lib. 7. Annalium Botorum.

§. III. Post illa ordo cepit in montibus sub Gregorio X. auctore Petro Moronzo, qui relictis urbibus in antris montium habitavit, cumque fratres plurimi ad eum accederent, ipse ad Concilium Lugdunense perrexit, & ordinem suum confirmari petiit. Militant hi monachi sub Regula S. Benedicti, nisi quod habitent in eremis ac montibus. Cardinales autem Romæ Petri Moronzi sanctimonia commoti hunc ordinis autorem inscritum in Ro-

manum Pontificem elegerunt, & mutato nomine Cœlestinum vocarunt, inde etiam hi Monachi Cœlestini sunt dicti. Alii existimant, celestinos ideo dictos, quod cœruleo uestitu, qualis est cœli color, uterentur. Vid. Balæus Cent. 7. Brit. c. 50.

§. IV. Præter hos A.C. 1298. nati sunt Fraticelli & Beginæ, inde dicti, quod in cellis cohabitarent, item Fratres pauperis vitæ Germ. Loll. Brüder. Fœminæ inter ipsos vocabantur Beginæ a filia Regis Pipini, quæ vocabatur Bega. Autorem hujus sectaæ alii Hermannum Italum, alii Dulcinum ejusque concubinam Margaretam faciunt. Hi Fraticelli capite demissæ & facie teæta incedebant, in templis humi sedebant, vultibus ad parietem conversis, oculos ad cœlum nunquam elevabant, nocturna sacra agebant, iisque per actis in mutuos complexus præsertim virginum, prouerbiant, extinctis lucernis. Infantem hinc natum in spelunca hinc inde trahebant, donec exspiraret. Is in cuius manu moriebatur, fiebat Pontifex Maximus, teste Bernardo Lüzeburgico lib. 8. Saxonæ. Dogmata ipsorum impura & impia, in jure Canonico præsertim in Clementinis damnantur. Alii putant, hos Fratres viros bonos fuisse, quibus hac omnia ideo sint afficta, quod cum Waldensibus conjuncti fastum & luxum Papæ ac Clericorum reprehenderent. His succedunt Jesuati, qui ipso nomine Jesuitis prælufisse videntur. His sensi cuperunt A.C. 1365. Ideo Jesuati dicebantur, quod nomen J E S U semper in ore gererent. Hi bona ut videtur intentione ducti vitam monasticam ad veteres mores primitivæ Ecclesiæ reducere voluerunt, hinc cum monachis mendicantibus ostiatum viatum non colligebant, sed de laboribus manuum vivebant, nec templa habebant, sed intra privatas domos sacra tractabant. Vestitus ipsorum erat candidum capitum tegmen, & zona scorteæ, de cætero nudipedes incedebant, Regulam ipsorum Urbanus V. confirmavit, eosque Apostolicos nominavit.

§. V. Porro Monachi fuerunt Montolivetenses vel monachi Montis Oliveti qui A. C. 1407. Schismata Pontificium pertasi, in proximum ab urbe Senensi collem, quem ipsi montem Oliveti vocabant, religionis ergo secesserunt, & pro avertendis diuturnis Ecclesiæ difficiis Deo supplicabant, Gregorio XII. approbante. Præter hos fuerunt Minimi J E S U, qui quod humilitatem J E S U imita-

tarentur, & minimi cuperent esse in regno cœlorum, id nominis
habent. Hi Romano Pontifici absolutam & illimitatam obedien-
tiam promiserunt. Autor ipsorum fuit A. C. 1471. Franciscus &
Sicilia oriundus. Confirmator ordinis Julius II. papa.

§. VI. Denique fuerunt Theatini, alias dicti Sodales divini
amoris, qui sub Clemente VII. nati, privatos sacrorum conventus
egerunt. His monachis se adiunxit Cardinalis, Caraffa, qui quia
reliquo Episcopatu Theatinus ad hos monachos se contulerat, toti
ordini Theatinorum nomen peperit, factus ille postea Pontifex,
& dictus Paulus IV. Vestiū suo similiter Jesuitis præluerunt:
Nam & hi Theotini olim, & que ac hodie Jesuitæ, pileis quadratis
sunt usi.

JESVITÆ.

§. I.

Cum Satanas reformatione per Lutherum cepta animadverteret
Curiam Romanam, officinam illam errorum, diutius consi-
stere vix posse, nec Clericos nec Monachos licet pingues ventres
ruinæ avertendæ sufficere, novum ordinem superioris seculi Anno
40, adeoque annis abhinc 120. produxit. Hinc vulgo Cathedram
Petri lapfantem pingunt, sed ita ut Jesuitæ suppositis humeris eam
suffulciant, & omnino ita est: Jesuitæ enim in hunc usque diem
sunt fulcra papatus, nec male dixit ex ipsis Jesuitis Paulus Floren-
tius videtur tota religio Jesuitarum ex hypocrisi, ex superstitione,
ex ficta & picta sanctitate conflata, ideoque hac ultima mundi æ-
tate prodiisse, ut omnia Papæ stercore pro aromatis orbi Christiano
vendant, imo per vim obtrudant, nihil enim est tam turpe, nihil
tam falsum in Romana Ecclesia, quin Jesuitæ novo artificio pul-
chrum aut verum apparere faciant. Hæc Florenus in Colloquio
quod Viennæ in Gymnasio A. C. 1578. instituit.

§. II. Autor hujus sectæ est Ignatius Lojola, Cantaber, homo
ferox, & castris affuetus, quæ ejus truculenta natura inlesuitas fe-
re omnes transit. Hinc scribit Iacobus Crusius: Merito miles de-
buit esse autor noster, sicuti enim militis est pugnare donec vincat,
ita nostrum est, in omnes hostes Romani Pontificis irruere, præser-
tim in Protestantes & Lutheranos, donec excindantur. Ignatius

vero dum sub Rego Hispano militem agit, & aream Pompeiopolin obsidet, Galli ex arce æneum globulum ejaculantur, quo crus dextrum Ignatio frangitur, quin & lapidem de muro projectant, quo Ignatio graviter inguina vulnerantur, imo capitur, sed a vulnere curatus in utrumque latus claudicans, domum remittitur, & militare renunciat.

S. III. Ad militiam cum jam ineptus esset, animum ad libros legendos confert, imprimis Legendas seu flores Sanctorum avide evolut. Hac lectio commotus de novo ordine fundando primum cogitat. In hunc finem atatis sua XXVI. patria domo excedit, positisque pretiosis uestibus, laceras induit, & in specum campi Mauresani secedit, ibique ab hominum omnium consortio remotus rigidissime vivit, postea e specu progesus devotionis ergo Hierosolymam ad loca sancta peregrinatur.

S. IV. Ex itinere illo reveritus, atatis anno 33. literas tractare incipit, cum antea ne scribere quidem potuisset, sed cum ingenii obtusi esset, ægre aliquid didicit, improbo tamen labore rem eo deduxit, ut in Academia Parisiensi Magister artium crearetur. In Magistrum promotus, juniores studiosos nonnullos permovit, ut se socios Ignatio adjungerent. Primi ejus socii fuerunt Petrus Faber, Allobrox, qui iam ante in eremo vivere decreverat, Franciscus Xaverius Nobilis Cantaber, Ignatii quidem popularis, sed qui Ignatum claudicantem saepe deriserat. Alfonsus Salmeron vir græce & latine doctus, & e scriptis hodienum clarissimus & pauci aliis. Cum his Ignatius denuo iter in terram sanctam suscepturn proponit, se Turcas velle convertere, viam quoque ineunt pedites, suo quisque baculo innixi, & Rosariis palam a collo suspensis. Cum Venetias perveniant, Nosodochia omnia visitant, & quibusvis ægrotis vilissima quaque servitia gratis praestant.

S. V. Dum hac Venetiis agunt, cogitant æquum esse, ut antequam rem tantam suscipiant, Romam abeant, & Pontificis consensum petant. Romanis ergo proficiscuntur, & a Papa clementer excipiuntur, & quia ibi plures socios accipiunt, missò itinere in terram sanctam, nova societas fundamenta jaciunt. Generalem sui ordinis Ignatum constituant, qui sociis rogatus, leges societati præscribit, libellum exercitiorum & formulam sui instituti Pa-

pæ confirmandum offert. Dissident quidem Cardinales novi ordinis in tanta Monachorum copia confirmationem, sed eo non obstante Pontifex A.C. 1540. mense Octobr. regulam Ignatii confirmat, sed ea lege, ne plures socii essent, quam 60. Verum triennio post Paulus III. liberum numerum concessit: Fœminas in ordinem suum recipere Ignatius noluit, nihilominus nostra aetate natæ sunt Iesuitissæ. Volut porro Ignatius, socios suos ab omnibus dignitatibus Ecclesiasticis excludi, sed posteri hoc non observarunt. Tandem vero Patriarcha ille Jesuitarum Ignatius A.C. 1556. æstat. 65. febri ardente corruptus ad Patres decessit. Atque hæc est Jesuitarum origo.

§. VI. Nomen Jesitarum fere insolens est & arrogans, nam cum nomen JESU Salvatorem significet, querimus, quo sensu a nomine JESU Jesuita dicantur? num activo, quo sensu notat Salvatorem, num passivo, quo sensu notat salvatos. Si active intelligent, sunt injurii in Christum, quia hic solus Salvator noster, si passive, injurii sunt in reliquos Christianos, salvati enim sunt, non pauci monachi tantum, sed Christiani omnes, qui viva fide in Christum credunt.

§. VII. Ab autore suo potius Ignatiani vel Lojolitæ vocari debant, sed resert Petrus Mappheus lib. 2. in vita Ignatii c. 5. cum Ignatius, ejusque socii Venetiis Romanum contenderent, ut consensum a Pontifice peterent, Ignatius dimissis sociis ovandi caussa in facellum fecessit, ubi in clara luce Deum Patrem vidisse fertur, & JESUM, filium ejus cum cruce graviter afflictum, simul audivit, quod Deus Pater Filio suo præsentem Ignatum ejusque socios in tutelam suscepit. *R*ufoque vultu ad Ignatum conversus dixit: *R*ufoque vobis propitius ero: Hæc visio Ignatum permovit, ut suo ordini nomen JESU inderet. Elias Hafemüllerus c. 2. historiæ Jesitarum refert, quod Ignatius cum ratio nominis ab illo postularet, responderit: mei socii a meo nomine nec Ignatiani, nec Lojolitæ vocari debent, sed titulus illorum sit: Societas J E S U. nam cum Romanum pergerem, in via mihi apparuit Dominus J E S U S, cum matre sua, mihiique dixit, ut socios sibi conscriberem, ideo quod paucos e clericis servos fideles haberet, se igitur velle, ut hic meus ordo diceretur, Societas J E S U. Hæc cum auditiv

H

Pau-

Paulus Pontifex, vere digitus Dei hic est, dixit, & nomen Jesuitarum approbavit. Sed nos hic merito recordamur verborum Christi Matth. 14. 24. Surgeant pseudo Christi, & dabunt signa magna, sed eis nolite credere.

§. VIII. Gretterus Jesuita celeberrimus, ita sic dictos vult, quod regula ipsorum sit J E S U S, vel JESU vita. Verum nostri Doctores alias dant paronomasias. Alii Jesuitas per Aphæresin vocant Suitas, quod sint Epicuri de grege porci. Alii Esovitas, ab impio Esau, cuius mores exprimunt. Alii Jesuweit/ quasi dicas, procul a JESU, vel Jesuwieder/ quod sint adverfarii JESU: Nescio quis poëta dixerit:

*O vos a socio geritis qui nomina J E S V
Dipeream, si vos J E S U S amare potest.
Humano generi fons & dator ille salutis
Sed vos innocui omnibus exitio.*

Hinc non immerito A. C. 1561. in conventu Posiacensi nomine totius Ecclesiaz Galicana fuit interdictum, ut ab appellatione, & usu, Jesuitarum abstinerent.

§. IX. Monachis accenseri nolunt, & recte, si de priscis loquamur: Hi enim vere Monachi, homines solitarii erant, verum Jesuitæ non amant solitudines, sed in foro, curiis, urbibus, aulis, inter armatorum acies versantur. Inter ipsa denique gynæcia & penetralia mulierum perreptant, adeoque nihil minus sunt quam Monachi. Sed & ab hodiernis varie differunt, nam plerique Monachi hodie sunt ventres otiosi, & fratres ignorantiae, nec in sacris, nisi Missam & statas precum horas absolvunt, adeoque sibi vacant. Sed Jesuitæ publico Ecclesiaz sua bona inserviunt, & sunt Doctores Juventutis. (2) Monachis nulla erat legati capio, quia ex affectu hereditati suæ renuntiarunt, verum Jesuitæ hereditates jure tibi debitas adire possunt. (3) Monachi plerique sunt mendicantes, verum Jesuitæ non mendicantur, sed domi forisque lautitiam quadrunt in Vicetu. (4) Monachos cum de loco in locum migrant, sarcinulas secum ferre oportet, sed Jesuitæ relictis omnibus rebus nihil secum ferunt, sed ubique inter suos necessaria inveniunt. (5) Monachi communiter horrido habitu incedunt, nudi pedes alii, alii cum capitulo, alii cum funibus, alii cinericea cuculla, sed le-

fui-

suitis in vestitu communem fere formam retinere licet, in itinere galeris utuntur vel pileis turritis, sed cum in Collegium, vel domum Iesuiticam pervenient, loco pilei turriti baretoru capiti impo- nunt, unde agnoscantur. Sunt autem hæ bareta Iesuitarum quadrigulares, & in forma crucis ex pretiosa materia. Pro cucullis, quibus monachi fere omnes utuntur, pallia Philosophica oblonga & nigra gestant, sub pallio habent tuniculas, quas solanas vocant, ad pedis usque plantam demissas, quas holoférica cannabe strin- gunt. Sub his tuniculis demum usitatas vestes ex optimo panno gerunt. Expressæ enim Ignatius socios suos iussit, ne fordino ve- stitu, sed mundo & eleganti & hominibus grato incederent.

§. X. Supremus Iesuitarum omnium est Generalis præposi-
tus, qui quia semper Romæ residet, & Consistorio Pontificis qua-
si affixus est, suamque sedem juxta sellam Papæ collacavit, semper
est a latere & a Secretis Romani Pontificis, adeo, ut hi duo semper
invicem sua consilia conferant, nec alter sine altero aliquid machi-
netur. Solius Generalis potestas in ordine Iesuitico est perpetua,
cum ceterorum fere omnium dignitas sit triennis. De cetero Ge-
neralis est supremus custos, & constitutionum Ignatii fundatoris
vindex, potestas ei est condendi novas leges, alienandi bona ordi-
nis nec cuiquam rationem reddendi. Hujus unius vox Iesuitis ora-
culi instar est, hunc & que ac Papam, Dei Legatum Christique vi-
carium appellant, & ut verbo absolvam, Generalis Iesuitarum est
Papæ corrialvis, & in effectu alter Pontifex.

§. XI. Proxime a Generali sunt quatuor assistentes, qui &
ipſi Romæ resident, ideoque assistentes dicuntur, quod Generali
sunt a consiliis, eique viva voce & scriptis assistant. Verum ideo
sunt quatuor assistentes, quod in quatuor plagas mundum di-
viserunt, & singuli ex iuri mundi plaga literas Provincialium &
Rectorum quos totius fere mundi res gestas Romanam referre oportet,
recipiant, aperiant, & si sit res magni momenti, ad Generalem su-
um omnia referant. His succedunt provinciales, qui per singu-
las Regiones & regna dispersi, eodem sunt loco in provinciis, quo
Romæ est Generalis. Quilibet provincialium fortitur nomen a
provincia, quæ ipsius curæ est commissa. Officium provincialis
est, visitare Collegia Iesuitarum, eorundem suppūtare redditus ac
cen-

census ; rationem gesti muneris a Rectoribus exigere, admonere, laudare, corriger, & in delinquentes animadvertere.

S. XII. Provinciales excipiunt Professi, quo nomine vocantur *ur' ē Ξχn* Iesuitarum exercitatiissimi, qui non tantum tribus illis vulgaribus votis monasticis paupertati, castitati & obedientiae superiorum sunt adstricti, sed prater hic tria quartum votum ediderunt professionis dictum, & positum in illimitata obedientia Romano Pontificis quoad fidem & mores praestanda. Rectores inter Jesuitas dicuntur, qui in Iesuitarum domibus, Collegiis, residentiis, omni liberrime dirigunt, ita, ut nemo inferiorum contra hincere audeat. Regentes autem vocantur, qui etiam exteris praefunt, eosque secundum regulam Ignatii dirigunt & informant. Patres Iesuitarum Sacerdotes vocantur, qui quotidie pro vivis & mortuis, pro Pontifice, pro incremento Societatis JESU, pro evertendis haereticis Missam faciunt, & horas Canonicas in templo & horto, vel cubili vel musæo vel dormitorio, portico demurmurant. Hos Patres statio die novitios exhortari, & Jesuitas, non Sacerdotes, intendere oportet.

S. XIII. Penitentiarii apud Jesuitas sunt, qui Romæ apud S. Petrum per Integros dies sedent, ibique confessiones audiunt. Sed Confessarii dicuntur, qui hinc inde per provincias, praesertim in diebus jejuniorum certas in templis sedes occupant, in quibus confidentes audiunt & absolvunt. Concionatores Iesitarum dicuntur, qui extraordinarie loco Parochorum munus concionandi subeunt, quod tamen non licet, nisi consensum ab Episcopo, loci ordinario acceperint. Praefecti Spirituales sunt, qui Novitios observant, ne primam caritatem, quam vocant, deserant, sed ut in amore Societatis quotidie proficiant. Hos oportet conscientias scrutari, commendare devotos libellos, & praescribere quæ ad mensam sunt legenda. Praeceptores dicuntur, qui per Scholas & Academias discipulos suos in Theologia & cæteris disciplinis ad praescriptum visitatoris informant. Coadjutores spirituales sunt qui Consilii & scriptis senatum Jesuiticum adjuvant. His opponuntur coadjutores Formati, alias temporales dicti, qui corpora sociorum fovent, iisque de viœ & amictu prospiciunt, & domestica negotia tractant, unde etiam dicti sunt temporales, quod circa temporalia bona.

bona occupentur. Scholastici denique & Novitii in Collegiis sunt, qui ideo educantur, ut cum vetera membra putruerunt, societas in his novis conservetur.

§. XIV. Mores Jesuitarum quod attinet, sunt illi hodie totius Papatus columnæ, qui primi novum fidei principium inauditum in tota veteri Ecclesia infallibilitatem pontificis Romani, nimirum sunt commenti. Et fateor, hoc uno principio evicto causam Pontificiorum nostra meliorem esse. Professione pauperes sunt, sed ita, ut nullo bono minuantur, suasque opes cum Crœsi divitiis non permутent, avari sunt, & cum primis ad morientium bona sibi suaque ordini legenda, attenti. Sunt homines vafri, versipelles, astivi & astuti, in Rebus publicis seditionum autores, cuius rei crudelia exempla in Gallia dederunt, unde etiam non e Gallia tantum sed ex Anglia, Venetiis, aliisque locis plus vice simplici sunt proscripti, sunt ἀστόροι & artifices in liberis parentum obsequio subducendis. Et quis omnia Jesuitarum facinora designet? plura de his vid. qui volet Alfonsum de Vargas in relatione ad Reges & Principes de stratagematibus Jesuitarum, ubi Jesuitarum perfidiam erga Reges & populos optime de ipsis meritos, & in rebus fidei libidinem novandi copiose ostendit.

§. XV. Sed cum vel in hoste laudanda sit virtus, Jesuitas duabus de causis laudandos censemus. 1. Quod in disciplinis excolendis & in informanda juventute sint assidui, & libris bono publico edendis strenue occupentur, adeoque fere soli inter Pontificias eruditio[n]em conservent, ceteris Monachis otio torpentibus, unde etiam ceteros ordines varie fugillant, & cum in nupero bello Germanico Monasteria Lutheranorum reformarentur, Jesuite publico scripto profesi sunt, monasteria illa sibi deberi, non ignavis monachis. Qua de re legendus est Frater Benedictinus. Sed tamen eruditus monachus in suo Asbesto, ita enim hunc librum vocat, quod in eo contra Jesuitas disputet, monasteria primæ suo ordini reddenda, & donationem fundatorum adhuc ἀσπεστον, inexstinctam permanere. 2. Quod in superiori seculo e primis fuerint, qui fidem Christianam in India & novo orbe propagarunt, unde etiam vulgo Indorum Apostoli dicuntur. Verum qui plura de Jesuitis scire desiderat,

ex ipso illo ordine legat Ribadanairam, qui non Ignatii tantum vitam, sed & Catalogum Scriptorum Jesuiticorum edidit: item Eliam Hasenmüller de varis Jesuitarum gradibus & generibus: nec non Christianum Francum in Colloquio Jesuitico, qui ambo olim ipsi Jesuitæ, postea ad Evangelicos sunt conversi, & denique qui instar omnium esse potest, Rudolphum Hospinianum in amplissima Jesuitarum Homilia: Nos rythmo Jesuitographiam terminamus:

*Omnis qui cum JESU itis
Ne ite cum Jesuitis
Ut a luce lucis dictus
Et ut homo est homo pictus
Sic a JESU est Jesuita
Hunc si sapis semper vita.*

ORDINES EQVESTRES.

Reliqtis Monachis & Jesuitis ad novum genus religiosorum accedimus, qui vulgo equites dicuntur. Verum omnes post Sec. XI. aut non diu ante cōpertunt. Dividuntur in tres Classes. Alii *κατ εξοχὴν* Sacri dicuntur, qui contra hæreditarios fidei Christianæ hostes pugnant, & quia certum vivendi ordinem sequuntur, equites ordinarii vocantur, & a cruce qua insigniuntur, Crucigeri. Alii sunt Equites Torquati ita dicti ab aureo torque, cui insignia ordinis equestris sunt appensa. Alii denique dicuntur. Equites Calcarei ab aureis calcaribus, quod ipsorum insigne est, sed huic ultimo equitum generi homines etiam plebei & infimo loco nati inseruntur. Sed in prima equitum classe Principes, Reges, imo Imperatores continentur.

HOSPITALARI.

§. I.

Cum A. C. 1012. Turcæ Hierosolymam ejectis Christianis recuperassent, fuerunt Amalhitani quidam h. e. mercatores ex Amalphia Italæ urbe, qui cum novas merces ad Turcas detulissent, licentiam naëti sunt, ut partem aliquam Hierosolymæ insolerent, ubi commercia agerent. Accepta hac licentia, statim

mo-

monasterium Mariæ Latinæ condiderunt, ita sic dictum, quod Latini fundassent. Condito cœnobio multi religionis ergo ad loca Sacra sunt peregrinati, qui ut ordinarium diversorum habent, hi Amalphitani suo cœnobio xenodochium seu domum hospitale pro recipiendis peregrinantibus adjecerunt, eique fratres Hospitalarios dictos præpotuerunt, quos hospitum curam gerere oportuit. Idem Hospitalarii alio nomine Johannitæ vocabantur, quia xenodochium illud sacrum erat Johanni, olim Patriarchæ Alexandrino, qui ob insignem erga pauperes misericordiam Eleemosynarius dicitur solent.

§. II. Sub finem Sec. XI. hi fratres, qui hactenus Hospitalarii seu Johannitæ fuerant dicti, inter equites sunt recepti, ideo quod insignis corum opera contra Turcas fuisse. Nam cum A. C. 1099. Christiani extra Hierosolymam pugnarent, hi intra moenia tam strenue Turcas invaserunt, ut tum quidem Christiani Hierosolymam receperint, pro quo studio Rex Godofredus amplissime eos dotavit & difavit. Nec diu post Hospitalarii ita aucti, novum ordinem equestrem, cui hactenus similis nullus fuerat, condiderunt, eundemque Pontifex & Patriarcha Hierosolymitanus confirmarunt. Instituta hujus primi ordinis equestris erant peregrinantes ad loca sancta liberali hospitio excipere, Christianam religionem contra Turcas defendere, militare sub regula S. Augustini, pro horis Canonicas quotidie orationem Dominicam recitare, baltheum rubrum cum cruce alba, & chlamidem atri coloris gestare cum cruce, quæ tempore pacis nigra, & tempore belli rubra est.

§. III. Post illa non amplius Præpositos seu Abbates, sed Magistros ordinis, quibus parere omnes oportuit, constituerunt, cumque hoc institutum per Christiana regna innotesceret, hi S. Equites amplissimis redditibus, Castellis, oppidis, vicis, prædiis &c. sunt donati, imo Magistri horum equitum inter Principes & status Imperii sunt relati. Emeritos autem milites, & bello in Syria fessos per provincias ablegarunt, iisque bona sua, quæ a viris piis dono acceperunt administranda commendarunt, quos propterea Commandatores, & bona quæ administrabant Commandaturas Germ. Romterß & Romtereyen vocarunt.

§. IV.

§. IV. Cum porro hi equites quotidie augerentur, in tres Classes sunt divisi. In prima fuerunt Sacerdotes seu Capellani, qui Sacra Solum tractarunt, & Dominis militantibus fausta precati, pro iisdem orabant. In secunda fuerunt equites, omnes ex nobili stirbe oriundi, qui contra Turcas arma direxerunt, & ceteris in illo ordine imperarunt, obstricti tamen ad orationem quotidie certo loco repetandam. In tertia Classe fuerunt servientes, vel milites vulgares, equitum ceterorum servi. Manserunt autem hi Hospitalarii in Palæstina & Syria per tria ferme secula, donec A. C. 1299, auxilio occidentalium destituti & a Tartaris vexati relicta Palæstina & Syria omnes cum bonis mobilibus excesserunt, qua de re legendus est Jacob. de Vitriaco in Historia Hierosol. lib. 1. c. 30.

EQUITES RHODII.

§. I.

Cum Johannitæ Syria pulsi essent, armata manu in Insulam Rhodum concesserunt, quam Imperator Turcarum Ottomarus Christianis ademerat. Ideo autem huc abierunt, quod hæc Insula ad oppugnandos Turcas maxime commoda videtur. Cumque Turcæ in hac Insula nil mali metuerent, a Johannitis sub duris conditionibus emigrare A. C. 1308. sunt coacti, ut refert Volateranus lib. 21. Cum Insulam Rhodum occupassent, non amplius hospitalarii, vel Johannitæ, sed milites Rhodii sunt dicti, præfertim cum Clemens V. totam hanc Insulam perpetuo jure iis concederet. In hac Insula adeo creverunt, ut juxta varias Europa nationes, in 8. linguis fuerint divisi, nec plures tantum priores constituerint, sed & plures officiales, v. g. Marschalcum, Admiralem, Thesaurarium, Cancellarium, imo in hac Insula omnium primo votis monasticis, continentiaz, paupertatis, & obedientiaz sunt adstricti, quibus quartum accessit, unde a reliquis ordinibus differunt, bellum ἀπονόσον contra Turcas.

§. II. Sed & hanc Insulam milites Rhodii A. C. 1523. amiserunt, cum per 200. annos & ultra fortiter eam defendissent: Jactura Insula hinc erat, quod Christiani in occidente civilibus

bus bellis occupati in propria viscera sanguirent, & hos milites auxilio omni destituerent, interim ex Insula cum rebus suis omnibus excedere tuto illis licuit. Abierunt ergo in Insulam Cretam, ibique hyemem transigerunt, & proximo vere ad Venetos commigrarunt, & hinc porro ad Nicæam urbem, ubi ex celsum promontorium Taurinum occuparunt, ex quo longe latęque prospectus in oceanum patuit, ut mare a pyratis purgarent. Tandem Carolus V. ipsos rogavit, ut Ungariae appropinquarent, & Turcis ibi grassantibus resistenter, quod & aliquamdiu praefliterunt, adeoque ipsorum munus duplex fuit, alterum, ut instar muri essent contra Turcas ab Europa depellendos.

EQUITES MELITENSES.

§. I.

Milites Rhodios, quos dixi, admiratus superiori seculo Carolus V. obtulit ipsis Insulam in Africo mari situm & Pauli naufragio celebrem Melitam, que totius ordinis equestris propugnaculum esset. Maluerunt quidem hi Rhodii Syracusis subfistere ob amicitatem & fertilitatem terræ, præfertim cum Insula Melite undique hostibus cincta esset, sed in gratiam Cæsaris, immo totius Christiani orbis bono, hanc Insulam A. C. 1529. acceperunt, suamque operam ecclesiæ contra Turcas aliquosque barbaros sancte promiserunt. Cessit autem hæc Insula in potestatem horum equitum, his quatuor conditionibus 1. Ut Neapolini cum primis ab incurssione Barbarorum defendenter 2. Ut in bello Turcico Christianis suppeditias ferrent 3. Ut pyratis e mari tollerent, 4. Ut Reges Hispaniæ & Sicilia Protectores ordinis agnoscerent, iisque in hujus rei signum quotannis falconem mitterent, de cetero exempti essent, nec nisi magno suo magistro subjici.

§. II. Ab hoc tempore equites Rhodii dicti sunt Melitenses, & insulam Maltam per 132. annos occuparunt, & tam strenue contra Turcas defendenter, ut fortitudo horum equitum toti Ecclesiæ gaudio, sed Turcis fit formidini A. C. 1565. Gravem obſidionem sustinuerunt, cum Imperator Turcicus advectis navibus 250. & stipatus in numero exercitu, & tot tormentis, quibus vel montes evertere poterat, Insulam Maltam oppugnavit.

Verum hi milites Cruciatii (ita n. hos Turcas vocant, quod cruce
fint insigniti,) tam fortiter restiterunt, ut a multis retro seculis nulla
virtus bellica major sit visa. Quin & superioribus annis, &
nostra adhuc memoria Reipublicæ Venetæ insigni adjumento ad
versus Turcas fuerunt. Amplissimos habent redditus in omnibus
fere provinciis Christiani orbis, adeoque in hac quoque vicinia
nostra Princeps horum equitum quotannis 2000, ducatorum su
scipit, unde tamen ad pios usus plurima confert, vel saltem con
ferre tenetur. Hoc peculiare habent, quod Christianis invicem
belligerantibus nunquam subsidia præstant, sed ut vulgo loquunt
sunt Neutrales, & partes ad pacem cohortantur. Hinc avo
rum memoria cum Carolus V. & Rex Galliarum mutua bella gererent,
& a Melitensis vastissimam navem, qua Turcis formidini erant,
peterent, Melitenses navem totam demoliebantur, ut utrumque
& Gallos & Cæsarem amicos retinerent. Plura vide in Malta veteri
ac nova, in hac Julia edita, auspiciis generosi baronis a Blumenthal.

TEMPLARII.

S. I.

Non diu post Johannitos vel Hospitalarios, e quibus primum
Rhodii, postea Melitenses prodierunt, natus est A. C. 110. no
vus ordo Templariorum hac occasione. Cum Christiani Hierosolymam e manibus Turcarum receperissent, multi, devotione dic
cam, an superstitione ducti, ad loca sancta sunt peregrinationi
quos quia cum magno vita periculo per medios saepe barbaros
transire oportuit. Fuerunt septem Latini, imprimis Hugo de Pa
ganis, & Gottfredus, qui votum suscepserunt, velle se peregrinos
ad sepulchrum Domini eentes comitari, & in via publica a latroni
bus tue. i. Placuit institutum, sed quia fixa mansio iis non esset,
Balduinus Rex Hierosolymitanus, iisdem ad tempus domicilia
juxta templum Hierosolymis concessit, & ab his domiciliis juxta
templum positis, totus ordo Templariorum nomine fuit insigni
tus. Horum munus erat, vias publicas a latrociniis defendere, &
peregrinos in templum ad sepulchrum Domini, & ad cetera loca
sacra per Palæstinam deducere. Vicatum iis dedit Rex & Patriarcha
Hierosolymitanus. Sed ipsum ordinem A. C. 1122. Honorius
II. confirmavit, iisque pro insigni candidum pallium concessit, cui
postea

postea Eugenius IV. rubram crucem affigere jussit, ut constaret, se
paratos esse ad moriendum pro Crucifixo, ut refert Jacobus de Vi-
triaco, in Historia Hierosolymitana, lib. I. c. 31.

S. II. Brevi Templariorum ordo excrevit, adeo, ut Matthæus
Parisienis scribat, habuisse illos 9000, Maneriorum. Manerium
autem vocabant, unde miles aliquis contra Turcam per manum
nutriri posset. Sunt alias, qui S. Bernhardum Templariis regulam
præscripsisse docent, nec diffiteor, inter opera S. Bernhardi exhorta-
tionem ad milites Templarios haberi, sed nulla ibi fit regulæ
mentio. Tragicus autem fuit hujus ordinis exitus. Nam A. C.
1311. Cum Rex Gallia Philippus bonis Templariorum inhiaret,
persuasit Pontici, Clementi V. ut in Concilio Vienensis decerneret
Templarios omnes delendos. Itaque per Universam Galliam
Templarii omnes uno fere momento sunt occisi eorumque bona
fisco regis illata. In reliquis terris occisi sunt ad certa signa, so-
la Germania in suos fuit mitior, nam vivi sunt relicti, sed ordine
suo exuti, eorumque bona fratribus Teutonicis data. Solent
Pontificii, ut hanc tyrannidem defendant, Templariis varia cri-
mina imponere v. g. quod idolum humana pelle vestitum ado-
raverint, quod in faciem crucifixi expuerint, quod promiscuos
concubitus egerint, qua tamen videntur conficta. Memorabile
est, quod multi e Templariis cum necarentur, Clementem Papam
& Philippum Regem ad tribunal Christi citaverint, ut intra annum
se sifferent, uterque etiam & Rex & Papa intra annum obie-
runt, uti referunt, Antonius tit. 21. Paulus Aemilius, Conradus
Vrspergenfis, & alii.

FRATRES TEVTONICI.

¶. I.

DE origine horum Fratrum tres sunt sententiae. Prima est Vo-
laterani, lib. 21, & Polyd. Virgilii l. 7. c. 22. dicentum : Hos
fratres ab anonymo Teutonico cepisse, qui in gratiam Germano-
rum ad loca sacra migrantium domum suam in xenodochium
converterit, eique facellum B. Virginis adjunxerit, unde iidem
Mariani sunt dicti. Hunc peregrinos gratis sustentasse, & ad loca
sancta duxisse, & armata manu contra Turcas defendisse, quod in-
stitutum cum multi sequerentur, natum hinc esse ordinem Teuto-

nicorum. Nec forte negari potest, ex Hospitalariis & Templariis hunc ordinem fuisse commixtum. Secunda est Alberti Cranzi, qui lib. 7. c. 14. metrop. fratres Teutonicos A. C. 1190. a civibus quibusdam Bremenibus & Lübecensibus cœpisse refert, hoc modo: cum Ptolemais ob sideretur, & inter milites Christianos dysenteria græsaretur, cives nonnulli Brema & Lübeca in Palæstinam navigarunt, & velis navium in terra expansis tentoria fecerunt, in quibus milites ægrotos receperunt & curarunt. Vedit hanc rem & valde commendavit Rex Sueviae Fridericus, qui cateris militibus hoc ostendit, dicens: animum sibi esse condendi ordinem militum Teutonicorum, in quo non nisi nobiles reciperentur, quique militibus egenis aut male affectis opem ferrent, eosque curarent. Placuit hoc institutum nobilibus, qui aderant, quin & Rex Hierosolymitanus domicilium iis concessit, sacram B. Virgini, unde olim vocabantur domus Mariae milites. Hunc ordinem Cælestinus III. confirmavit. Tertia est Sebastiani Franckii, qui ordinem Teutonicum è Borussia deducit. Cum Fridericus II. Imperator Borussiam armis ad fidem converteret. Sed media sententia uti communior, ita verior nobis videatur. Res ita le habet. Cum Christiani ex terra sancta fugarentur, Teutonici fratres, quorum ordo in Palæstina cœperat, in Germaniam sunt reverfi, cumque in Borussia fratres gladiiferi essent, qui Paganis in Borussia resistere vix poterant, Teutonici cum illis se conjunxerunt, ut junctis armis Borussiam converterent, ob quod Imperator A. C. 1226. totam Borussiam his unitis Fratribus Teutonicis & gladiiferis concessit. Borussia potiti, varia ibi Collegia, templa & arces considerunt, & tres Magistros sui ordinis constituerunt. Primum in Borussia, Marienburgi. Secundum in Livonia. Tertium in Germania unde prodierunt. Contigit post illa, ut Dux Livoniæ, Rex Poloniæ crearetur: qui ægre ferens, populares suos ab his exteris suppresos, primus bellum fratribus Teutonicis in Borussia movit, sed vietus, jura Teutonum confirmare coactus est: Tandem vero ipsi Borussi A. C. 1450. contra hos fratres rebellariunt, quod paulo durius ab iis tractarentur & ad Polonus defecerunt, unde Teutonici in angustias redacti, duræ pacis conditiones inierunt, & Vasalli Regis Poloniae sunt facti. Protestatus quidem est contra hanc vim Magister ordinis Albertus Marchio Brandenburgicus, sed auxilio Imperii destitutus, ordinem deseruit, & ad Evangelicos se con-

ver-

vertit, titulumque Ducis Borussiae a Rege Polonorum accepit, atque hinc est, quod in hunc usque diem Borussia Ele^ctori Brandenburgo, hic vero quoad Borussiam Polono subsit.

S. II. Receptio in ordinem Teutonicorum fit hoc ritu: Quærerit Commendator Fratres, an placeat Candidatus ordinis? Quibus nil desiderantibus, Novitus vitam suam, artem quam callet, & vitia corporis referre tenetur, ut constet, an militia sit idoneus, tum vero manum codici biblico & regulæ sui ordinis imponit, manum alteram Commendatori porrigit, eique obedientiam, paupertatem, castimoniam & bellum contra barbaros perpetuum promittit, ad quæ Commendator: Wir sagen euch Brodt und Wasser zu und das genug/ eine geringe Kleidung euer Lebenlang/ wirds besser/ so habt ihrs auch besser/ mehr sind wir euch nicht schuldig: Receptus in ordinem, fratres omnes osculatur, & admonetur, ut regulam ordinis stricte observet. Inauguratio fit hoc modo: Novitus cum Cognatis ad templum pergit, præfertur ei fax ardens, cui 30. argentei cum aureo annulo sunt affixi. Coram altari procumbit, & gladium, clypeum, calcaria, pallium accipit, iisque induitur, Commendator gladio Clypeum ejus percutit, dicens: Hier besser Ritter denn Kncht/ melius est Equitem esse, quam servum, postea eodem gladio Equitis tergum ferit, dicens: den vertrage/ und keinen mchr. Quibus in templo peractis ad fereula & pocula more Germanico itur. Verum & hic ordo in luxum abiit, ut natum hinc sit proverbium:

Kleider aus Kleider an,
Essen, trinken, schlaffen gahn
Ist die Arbeit, so die Teutschen Herrn han.

EQUITES AVREI VELLERIS.

Scribit Cuspianus in Genealogia Austriaca, hunc ordinem a rei Velleris cepisse A. C. 1417. a Duce Johanne Philippi Audacis Filio, hac occasione: Fuit vates Turcicus, qui prædixit, ex posteris ducis Johannis oriturum, qui ignem in pectore gestaret, & Turcum Imperium everteret, quo auditio Dux Johannes exercitum misit in Pontum Euxinum celebrem ex notoria fabula de vellere Iasonis. Domum reverso placuit illi ordinem condere, cuius insigne esset aureum velutus collo suspensum, Germ. das gldene Blüß/ quia vocem *vellus eliso* E. corrupte pronunciant. Alii putant, hos Equites

tes aurei velleris ad exemplum Gideonis cœpisse, qui omne velle-
ris divinitus accepto, Midianitas feliciter repressit. Jud. 6. v. 37. Ve-
rum ipse ordinis fundator in diplomate refert, dictos eos esse ab au-
reo vellere Argonautæ Jasonis. Quod ad Jasonis vellus attinet, scri-
bit Svidas, hoc nomen habuisse librum membranaceum, qui dictus
fit aureum vellus, ideo, quod in eo ars Chimica conficiendi aurum
fuerit scripta, sed verior sine dubio est eorum sententia qui vellus
arietis auro vestitum & Insula Calcho in templo Jovis suspensum
existimant, apposito Dracone, quem Jason a Medea instructus oc-
cidit, in memoriam fortissimi Duxis Jasonis hoc Equestris sodali-
tium aurei velleris cepit, ut ad similem fortitudinem Jason exem-
plu esset. Hinc ordinis hujus insigne est aureus torques, in quo ha-
bentur multa ignaria & filices, & figura velleris arietini, quod vel-
lus ad pectus excurrit, cum pileo ducali, nam in hunc ordinem
non recipiuntur nisi Imperatores, Reges, Duxes, Principes. Magister
ordinis est Rex Hispania. Mortuo Equite torques ille ad Magistrum
ordinis remittitur, qui eundem successori tradit. Regulam totius or-
dinis Guicciardinus in historia sua Belgica copiose descripsit.

VARI ORDINES.

§ I.

PRæter ordines equestres recentissimi est ordo militum Lazarj cœptus ineun-
te Sec. XII. Cujus insigne crux rubra ante pectus, teste Sebastianio Franckio
in Chronico. Ordo militum Calabragenvium cœptus A. C. 1121. in Hispania
provincia Calabragave, cuius insigne est niger vestitus, & crux rubra. Sequin-
tur regulam Cisterciensem de his vid. lib. 2. decretalium Epist. Innoc. III. Ordo
militum S. Jacobi cœptus A. C. 1170. qui alias Compostellani dicuntur, quo-
rum insigne est crux purpurea qua formam capuli in Spatha exprimit, unde
& milites de Spatha dicuntur.

§. II. Ordo Evangelici nuncii ad B. Virginem cœptus A. C. 1420. Autore A-
mato, Comite Sabaudie, insigne est crux alba in rubro campo, & collo suspen-
sis aureus torques cum his litteris F. E. R. T. Fortitudo eius Rhodium Tenet.
Vid. Pontus Heuterus l. 4. rerum Burgundicarum.

§. Ordo Equitum S. Michaelis Archangeli cœptus A. C. 1469. Autore Lu-
dovico XI. Rege Gallie quem dicunt videlicet S. Michaelem pro Gallia pugnan-
tem, contra Anglos, horum insigne est aureus torques, in cuius medio emi-
net aurea imago S. Michaelis, Draconem prosterrentis, additis
litteris: Immenſi trenor oceani.

IN-



INDEX I.

Summa & Series Materiarum
in Tractatum

De

Religiosis eorumque va-
riis ordinibus.

A	Nachoretæ	pag. 1	Claustra Monialium	pag. 16
	Sarabaitæ	4	Multitudo Monasteriorum	17
	Circumcelliones	4	Advocati Cenobii	17
	Cœnotice	5	Stylita	18
	Succincta descriptio Monachorum		Bafiliani	20
	Ver. Eccl.	6	Hieronymitæ	21
	Tonsura Veterum	8	Canonici	22
	Sacra Virgines	10	Canonissæ	25
	Tonsura Monialium	13	Accomeræ	26
	De Monasteriis	13	Benedictini	26
	Monasteria Veterum Schola	15	Apostolici	28
			Gre-	

	<i>pag.</i> 29	<i>Augustinienses</i>	<i>pag.</i> 44
<i>Gregoriani</i>	30	<i>Dominicani</i>	47
<i>Fraternitates</i>	31	<i>Carmelitæ</i>	49
<i>Cluniacenses</i>	33	<i>Franciscani</i>	50
<i>Camaldulenses</i>	33	<i>Varii Monachorum ordines</i>	53
<i>Vallumbrenses</i>	35	<i>Jesuitæ</i>	55
<i>Grandimontenses</i>	35	<i>Ordines Equeſtres</i>	62
<i>Cartufiani</i>	38	<i>Hospitalarii</i>	62
<i>Ciſtercienses</i>	38	<i>Eques Rhodii</i>	64
<i>Bernhardini</i>	39	<i>Eques Melitenses</i>	65
<i>Humiliati</i>	40	<i>Templarii</i>	66
<i>Antoniani</i>	41	<i>Fratres Teutonici</i>	67
<i>Pramonifratenses</i>	42	<i>Eques Aurei velleris</i>	69
<i>Gilbertini</i>	43	<i>Varii ordines.</i>	70
<i>Cruciferi</i>			



IN-

INDEX ALPHABETICVS RERVM PRAECIPVARVM.

A.

Abbas	pag. 6
Abbatis regimen duplex	18
Abbatissæ officium	15
Academiarum origo	24
Acephali	53
Acoemetæ	26
Alani de Rupe fabula	31
Advocati Coenobii	17, 18
Alipius Stylita	19
Amictus Monachorum	27
Anachoretæ	1
Anagnosetes	6
S. Antonii vita de eo fabulæ	2, 41
Antoniani	40, 41
Apaturiæ feriæ	9
Apostolici	28, 29
Augustini vita	44
Augustinenses	44, 45, 46
Aureum vellus	69
B.	
Bannocorenses	28, 29
Barfüßer	51
Basilius M.	20
Basiliani	20
Basilium inter & Eusebium di- scordia	20
Beginæ	54

Benedictus Nursinus	26
Benedictini	26, 27, 28
Bernhardus vere pius	38
Bernhardini	38, 39
Bethlehemitæ	53
Bosnæs Monachus	4
C.	
Calabragevenses milites, Cleri- ci	70
Calix, cur Laicis subtrahitur?	9, 10
Camaldulenses	33
Canonici variij	22, 23
Canonici irregulares	24
Canonissæ	25
Cantor Canonicus	23
Capucini	51
Cardinalis	23
Carmel, mons	49
Carmelite	49, 50
Carolus M. fundator multorum	
Collegiorum Canonic.	24
Cartufani	35, 36, 37
Charta Charitatis	38
Chordigeri	51
Chor-Herren	25
Circumcelliones	4
Circumitores	4
Cistercienses	38
Clarissæ	52
K	
Clau-	

INDEX

Claustra Monialium	16	F.
Clericus triplex	23	Flagellantes
Cluniacenes	31,32	Formata, Epistola
Cœlestini	54	Francisci historia
Cœnobia	13,24	Franciscani
Cœnobitaæ	5	Fraternitates
Commandator	63	Fratres grisei
Communio bonor. prim. Eccl.	5	Fratres Carmelitanæ virginis
Conversi vocabulum	7	Fratricelli
Coronæ vocabulum	9	Fratres Teutonicci
Crucis, ligni fabula	33	G.
Cruciferi	43	Galli S. vita
D.		Gilbertini
Dagoberti mos mulctandi	14	Grandimontenses
Daniel Styliota	19	Gregorius M.
Decanus	24	Gregoriani
Diaconus	23	Gyrovagi
Doctor civilis	2	H.
Dominicus hypocrita	47	Hieronymi vita,
Dominicani	47,48	Hieronymitæ
E.		Hieronymitarum Vet. & hodier-
Elias fons	49	norum diversitas
Epistola συλλεγονή	19	Hilarii vita
Equestres ordines	62	Hispaniæ Rex primus in Ordine
Equites	62	aurei velleris
Sacri	62	Historia de Circumcellionibus
Torquati	62	Hora Canonicae
Calcarei	62	Hospitalarii
Rhodii	64	Hostia venenata
Melitenes	65	Humiliati
Aurei velleris	69	I.
Eremita optimus	3	Janbonitæ
Evangelici nuncii ad B. Mariam	Jesuati	
Ordo	70	Jesuitæ
	55	--60
		Je-

ALPHABETICVS.

Jesuitissæ	57	& Moniales cohabitantes	
Jesulus typicus, Franciscus,	52	16	
Ignatii Lojolæ vita	55	Monachus cum Moniali in lecto	21
Ignis faci historiæ	40	Monachus non Eleemosynarius	
Johannitanæ	63	Moniales	16
Jus Patronatus	18	earum multitudo	12
K.		victus & amictus	11,12
Kasten-Doigt	18	Monasteria	13,14
Keizer avoce Cathari, puri	43	olim seminaria	15
Klaußner	14	distinguuntur a Ceno-	
Kloſter a Claſtro	14	biis	13,14
Kohl-Brüder	54	Ciftertiensium & Bern-	
Komter/ Komtereyn	63	hardinorum amœniſ-	
L.		fima	39
Lazari milites	70	Monasteriorum	
Lector Canonicus	23	amenitates	15
M.		fontes	17
Mägister Equitum	63	multitudo	17
Mandritæ	3	Montolivetenses	54
Manerium	67	Mulieres nequam	42
Mariani, Monachi,	67	Mundiburdum quid?	18
Maurata, pallium	8	Munificentia in Clericos cauſa	30
Melota, vestis,	8	N.	
S. Michaelis Equitum Ordo	20	Ninivitæ, Monachi	30
Milites cruciferi	43	O.	
Minoritæ	51	Ordines Monachorum variis	33,34
Monachi, eorum genera	1, 4, 5	Ordo religiosorum rigorofissimus	
fundator primus	6	P.	
descriptio Monachorum		Panis vino tinctus Eucharisticus	
vestitus	6,7,8	27	
opera	8	Papiculae mendicantes	32
receptio ritualis	27	Paula	4
Monachi, hodie rati			21
insomnes	26	Pau-	



INDEX ALPHABETICVS.

Pauli Thebani vita	Ma	2	Teutonici fratres	67
Pénitentiarii		60	horum ritus in recipiendis	
Pénitentium in V. Eccl. amictus	3		ordinis sui candidatis	69
Prémonstratenses	41, 42		Theodorus studita	26
Præpositus	24		Thomistæ	48
Presbyter	23		Theotini	55
	R.		Tonsura veterum in	
Recabitæ		5	(1) Monachis	8, 9
Remoboth		1	(2) Monialibus	13
Romwald, Dux, Monachus		33	Troglodytæ	3
	S.		V.	
Saccitæ		46	Vallumbrienses	33, 34
Sanctimoniales excommunicatae			Velamen sacrum	11
Sanctes		10	Vestitus Monachorum	8
Sarabaitæ		1	Victus Monachorum	28
Scholaistica, Monialium prima	12		Virgines sacrae	10 - 12
Schütz-Voigte		4	Virgo sacra in publico	11, 13
Semi-Monachi		18	Virgo consecranda	11
Simeon, Stylita primus		40	Virgo tonsa a Romanis	13
Studitæ		19	Virginum sacrarum regulæ	25
Stylitæ		26	Virginum sacrarum nuptiae	10
	T.	18, 19	Vota Monastica	7
Templarii		66	Wilhelmitæ	46
omnes occisi		97	Z.	
			Zambonitæ	46



35.-

194
23
2471
2479.10

6078



8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Farbkarte #13

Centimetres	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9

B.I.G.

33

LEBRANDI

OSIS

VE

DINIBVS

S.



SIMA.

II

NORRIANA.

Stadtarchiv
Rathenow